



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

Diss juv 21 13



Dissertat. jur. 2113

DISSERTATIO PHILOSOPHICO-  
JURIDICA,  
DE  
VERA,  
NON SIMULATA  
JURIS PHILOSOPHIA

Ex L. I. D. de J. & J.

Quam

EX PERMISSU

MAGNIFICI, NOBILISSIMI & AMPLISSIMI  
JURIS ORDINIS,

Pro Summis in Utroque Jure consequendis  
Honoribus ac Privilegiis,

Ad D. 21. Junii 1715. H. L. Q. S.

Placidæ Eruditorum Disquisitioni subjicit

DANIEL CORNELIUS ZOLLICOFFER

ab Altenflingen / SANGALLENSIS,

A U T H O R.



B. A S I L E Æ,

Typis Friderici Lüdii, Academ. Typogr.

# VIRIS

*Magnificis, Amplissimis, Nobilissimis, Consultissimis,*  
DN. DOMINIS CONSULIBUS, PATRIÆ PATRIBUS  
*Meritissimis,*

DN. HENRICO HILLERO,  
DN. GEORGIO WARTMANNO,  
DN. LAURENTIO WERDERO,

Cæterisque Dominis, Dominis Senatoribus  
Reipublicæ Sangallensis

*Prudentissimis, Gravissimis, Dominis meis Gratiofissimis.*

*VIRIS item Generosis, Prænobilissimis, Strenuissimis,*

DOMINIS

DN. TOBIÆ ZOLLICOFERO ab Altenklingen  
in Ober-Castel.

DN. DANIELI ZOLLICOFERO ab Altenklingen/  
COHÆREDITARIIS.


DOMINIS in Altenklingen / Mergstetten & Pfauenmaas.  
Cæterisque ZOLLICOFERORUM ab Altenklingen / utriusque  
Stirpis Senioribus, & illorum Vicariis,

*Avo & Agnatis meis, Parenti optimo,*

Omni honoris & Obsequii cultu prosequendis, amore amplectendis,

*DISSERTATIONEM* banc D. D. D.

AUTHOR.





VERA,  
NON SIMULATA  
ICTORUM PHILOSOPHIA.

S. I.



Hilosophiam præ se tulere & Philosophia  
presium &  
studium, om-  
ni tempore: professi sunt multi, omni æta-  
te: Nec cultiores modò inter  
Gentes atque moratiores; Sed  
& rudiores, stupidiores, quæ-  
que longiùs ab Humanitate  
abibant, extra omnes mores  
legesque projectæ, nisi quæ  
comitantur Naturam huma-

nam & sinè quibus qualemcunque Societatem du-  
rare non posse sensus communis ingerit: *vide, sis,  
Horn Histor. Philos. ubi & de variis Philosophandi  
modis, alios.*

Hi sunt, qui supra & contra vulgus sapere at-  
debant, qui vera dignoscere bona laborabant, re-  
motâ erroris nebulâ, qui se in abdita Naturæ pene-  
trabant, minùs obvia & remotiora à Sentibus vita-  
que communis genio vestigabant, qui se, qui alios  
studebant componere ad normam virtutis rigidi que

A

Hone-

Honesti, vulgi ridentes inania, qui feros & dispersos Homines in societatem vitæ civilis convocârunt, Legumque freno & Numinum metu coërcuêrunt, ne in omne nefas laberentur, & ut esset societas illa tranquilla & pro humani intellectûs modo ordinata, qui communem vitam omnibus modis juvêrunt & instruxêrunt, queis adeoque

*Ex meliori luto finxit præcordia Numen.*

Hinc & suspicere illos vulgus, tacito stupore venerari & colere, ceu Homine majores, certatim in dubiis & periclitantibus rebus, quæve sui intellectûs modum excederent, eorum expetere consilia, illorum ab ore pendere, imperia exequi, animum iis doctrinâ imbuendum, disciplinæ sanctitate subi-gendum dedere:

*Sylvestreis Homines sacer interpretisque Deorum  
Cœdibus & victu fædo deterruit Orpheus:  
Dicitur ob hoc lenire Tigreis rapidosque Leones:  
Dicitur & Amphion, Thebanæ conditor arcis,  
Saxa movere sono Testudinis, & prece blandâ  
Ducere, quò vellet: Fuit hæc sapientia quondam,  
Publica privatis secernere, sacra profanis,  
Concubitu prohibere vago, dare jura Maritis,  
Oppida moliri, leges incidere ligno;  
Sic honor & Nomen divinis Vatibus, atque &c.*

*Horat.*

Quid quòd non alii mereri credebantur, quibus summa rerum concederetur? *Plato* 5. *Rep.* *Horat.* 1. *Ep.* 1. *Seneca* *epist.* 90. Ipsos rerum Dominos, solo minores Deo, & vitæ necisque Arbitros, non tamen fastidiisse. Philosophiam Historia refert attonitis.

§. II. At

§. II.

At non qui illam jactabant omnes, tanti nominis mensuram implebant, non qui cluebant Philosophi, & erant. Ejusdem tractatus, ad usum.

Multi pallio & promissâ Barbâ nubeque superciliî imponebant obesioris naris hominibus: Multi fordido & neglecto cultu, duriter parceque vivendo & procul omni strepitu, pompâ totâque illâ scenâ humanâ solitariam & ignobilem ætatem agendo, gloriam, quam fugiebant, famam nomenque Philosophi dissimulanter ambiebant: Multi sub hâc larvâ, specie virtutis, quam unice crepabant, & cujus examuffitati Antistites videri satagebant, impune peccando fallebant, *ignavâ operâ, Philosophâ sententiâ*, cum *Pacuvio*: Multis quadrabat illud *Horatianum*:

*Stulti, dum vitant vitia, in contraria currunt.*

Erant, qui toti consumerentur in sterili contemplatione, monstrosis commentis, infrunitis & audacibus nugis, nil profuturo acumine; neciebant mirifica retia, capiundis incautis & imperitis Auditoribus: Syllogismis suis in *Darapti, Felapton*, subito humanæ formæ, mirabile dictu! vultus ac terga ferarum induerant, & ocyus, cum voluere, vera redibat facies; Tenebris & barbarie sermonis vel anquisitis captabant assensum subtilitatis, & delusos Discipulos volubili suâ oratione eò redigebant, ut ne hiscere contra auderent. Fœcunda & læta ingenia ad majoraque nata deterebantur, quasi in pistrino aliquo, & deterrebantur ab ulteriori commercio Musarum tricis hisce atque spinis, frustrationibus immentis que ambagibus: suffocabatur generosus im-



petus, ad summa quæque ferens; Sed & Philosophatri hi meritò οὐδ' εἰρησεύγοις subinde vapulabant. Indagabant alii latentes rerum causas nexusque, quæque alia prudens Natura recondidit:

— *errantem Lunam solisque Labores:*

*Unde Hominum genus & pecudes, unde imber & ignes:*

*Arcturum, pluviisque Hyadas geminosque Triones:*

*Quid tantum Oceano properent se tingere Soles*

*Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstat?*

*Unde tremor terris, quâ vi Maria alta tumescant,*

*Obicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant?*

Nequicquam! nil namque certi, nil veri humana ἀσχυροία hic eruere potest: fugit illam ἴδ' πῶς, ἴδ' δ' ἰδίῃ, ut loqui amant, & intima substantia rerum naturalium & operationum. Taceo jam olidum & ridiculum illum dolii incolam, profligati pudoris mortalem, fastuosum & dicacem Diogenem, taceo illum, qui

*Perpetuo risu Pulmonem agitare solebat,*

Democritum, alterumque, cujus oculi perpeti fletu madebant, mittendos Anticyras: Taceo illos, qui nil percipi posse asseverabant, aliaque Scholarum ἐκλεῖψματα, δονησιόφες, & sui ordinis dehonestamenta, quorum vitio, æmulatione, factionum odio, aut etiam fato & imprudenti injuriâ, malignæ superbîæ Hominum, quæ ipsorum captum superant carpentium & insectantium, Philosophiæ sacrum & venerabile nomen & nobile studium vilescebat, frigeat, in ludum jocumque & tantum non contumeliosam notam Homini improbi & Candidati

didati stultitiæ vertebat: de his Pseudo-Philosophis vid. Gell. N. A. l. 5. c. 10. Seneca ep. 48. 49. Juven. Aristoph. Pers. præprimis illos passim multo sale defricuit & ridendos propinavit Satyricus ille Lucianus.

§. III.

Ast maneat suus Veræ, non simulatæ Philosophiæ honos & pretium, maneat dignitas: Causam ejus agat, unus instar omnium, M. T. Cicero, illa Romani fori suada: quot & quantis tum alibi, tum §. Tuscul. Quæst. illam maectat elogiis: *ô vita Philosophia dux, inquit, ô virtutis indagatrix expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita Humanum sine te esse potuisset? Tu Urbes peperisti, tu dissipatos Homines in Societatem vitam convocasti, tu eos inter se primò domiciliis, deinde conjugis, tum literarum & vocationum communiõne junxisti, tu inventrix legum, tu Magistræ morum & Disciplinæ fuisti, ad te confugimus, a te opem petimus, &c.*

*Vera Philosophiæ laus & honor.*

§. IV.

Nos igitur, qui selegimus nobile sanè Thema nec adhuc tritum, suâque amplitudine & jucundâ varietate præcipuum & omnigenâ fruge foctum, de Verâ, non simulatâ Ictorum Philosophiâ, ex l. 1. D. de J. & J. quod esset veluti *γέφυρα* aliquod studiorum nostrorum, & præludium enaturorum, cum tempore & *ἔνθ' θεῶν*, maturiorum & plus exasciatorum conatum: Nos, inquam, præstruemus Veram, non simulatam Philosophiam universè spectatam; tum verò ei imponemus Nostram hanc Ictorum.

*Noster ordo & methodus tractandi Thema selectum.*

*Vera Philo-  
sophiæ De-  
scriptio.*

Vera Philosophia Naturæ Rerum comes est: Nostra omnis cognitio gignitur per Sensus & indé resultantem Rationem: respuit ergò Vera Philosophia quod à duobus hisce ducibus abhorret & divortium facit: ad hanc veluti obrussam exactæ admittuntur Veritates, explorantur diversæ diversorum sententiæ. Vera Philosophia nullius addicta jurat in verba Magistri: Unicè Veritati, vel à Garamanta prolata, amica. Non agit tantùm interpretem alienorum dictorum: non superbit, velut illa Æsopica cornicula, furtivis plumis: non quæ alii præivêrunt & repetita inculcârunt, more Plittaci, reddit: non indormit avitís solertis industriæ opibus; Sed Ipsâ molitur quæ præsens miretur seculum, & debeat grata Posteritas. Nil, nisi probè compertum & justâ meditatione pensatum & ad sensus ac Notiones quasdam tam certas, ut eas nemo negare possit, nisi sibi vim inferat, reducendum pro vero affirmat. Veræ Philosophiæ opus est, eximere animo præconceptas stolidas opiniones, quas infixêrunt vel ἡ ἀνὸς ἔφα Doctorculi, domestica institutio & popularis conversatio, vel præcepta & crudum crassumvè Judicium. Vera Philosophia lumen suum infundit & se probat etiam ἀμύση: nec enim illud obvolvitur tenebris & barbarie Sermonis, linguâ incognitâ, Metaphysicis Abstractionibus, ineptiis Logicis, Scholasticorum Terminorum portentis, grassantibus, necdum damnato furore, studiosæ Juventutis carnificinis, quæque abominanda monstra alia usque huc Scholas inundavêrunt. Non tuetur pervicax, quos imberit

berit semel, Errores, aut temerè arreptam opinio-  
nem, ut nihil agat meliora monstrans. Vera Phi-  
losophia, prælato Intellectui lumine, acuit Ratioci-  
nium & Judicium, quod suò res omnes & verò pre-  
tio æstimet, *quid distent æra lupinis* :

— *Et veri speciem dignoscere sciat,  
Ne quæ sub ærato mendosum tinniat auro,  
Quæque sequenda forent & quæ vitanda vicissim,  
Illa prius cretâ, mox hæc carbone notaret, Persius ;*

neu nubem pro Junone amplexum frustretur. Ve-  
ra Philosophia temnit, inanes & irritum exercentes  
acumen speculationes & jejunas argutias, quod ele-  
ganter *Aristophanes* : *Λεπτολογεῖν ἢ περὶ κάπνυς  
σενολογεῖν*, appellat:

*Turpe est difficiles habere nugas,  
Et stultus labor est ineptiarum, Mart.*

& *Pædrus* :

*Nisi utile est, quod facimus, stulta est gloria ;*  
dedignatur suis sacris sordida Ingenia, in umbrâ tan-  
tùm & pulvere Scholastico contrita & pigri otii tur-  
pem situm trahentia : Odit omnes fumos, fucos &  
inscitiae sueta *κησοφύγεια* : In malam maxumam  
crucem facessere jubet *Logomachias* & de lanâ ca-  
prinâ *Contentiones*, eo fervore subinde agitata, iis  
convitiis strepentes, quasi salus Græciæ cum illis  
stetque cadatque, *vid. omnino aureolum illum Cele-  
berr. Doctiss. Werenfelsii, de Logomachiis Eruditorum,  
librum.* Conquirit undique.

— *Quod possit dicere vita : Meum est,*  
quod intellectui lucem fœnerari & evagantes cupi-  
ditates in ordinem cogere, &, cum *Divo Paulo,*  
*πάντα*

πάντα δοκιμάζει, τὸ καλὸν καλέχει; non obhærescens ad infusa illa ἐλέγχενα systemata, religiosâ methodo, secundùm quatuor genera causarum, in minutias Divisionum & Subdivisionum contusa, nec mancipans vastum Pansophiæ ambitum Cathedris Academiarum. Vera Philosophia commendat quidem prævium Linguarum exoticarum usum, quæque huc spectant: exspatiatur per hoc, quâ patet, Universum curiosus spectator, rimando etiam secreta Naturæ;

S. VI.

*Vera Philosophia est Practica.*

Verùm enimverò potissimùm animum format & fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda & omittenda demonstrat, sedet ad gubernaculum & per ancipitia fluctuantium dirigit cursum: concinnat mores; domat exultantes Cupiditates: instillat virtutes: insinuat, quid utile, quid non: Justitiæ Sacerdos boni & æqui notitiam profitetur, æquum ab iniquo separans, licitum ab illicito discernens, *d. l. 1. De J. & J.* in actu versatur, quæ in communi vitâ usu veniunt & eam juvant atque beant, suppeditat: Homo Homini quæ debeat officia, quæ sibi, quæ Numini, injungit: Salutem & bonum rei publicæ tutatur & curat, præcipuè Majestate Legum & incorrupto tenore, labantem reficit, bonos non solum metu pœnarum, verùm etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupiens, *d. l. 1. que-felas miserorum pro tribunali excipit, jus suum cuique tribuit, add. l. 14. C. advocat. divers. Judic.* Hanc Philosophiæ pulcherrimam, etli negotiosam, partem longè cæteris præponit *Plinius 1. Epist. 10.* Hanc memoratur Sapiens Socrates è cœlo deduxisse,

se, in Urbibus collocasse, inque domos introdux-  
isse, & coegisse de vitâ & moribus rebusque bonis  
& malis quærere: quæ supra nos, nihil ad nos di-  
ctitans, &

*Adibus in propriis quæ recta, aut prava gerantur,*  
unumquemque inquirere oportere sciscens. Hanc Quam Jctis  
vindicat  
Ulpianus. Ulpianus Noster insigni *Verae, non simulatae Philo-*  
*sophiæ* decore meritissimò ornat & vindicat suis  
Jctis, quò jure, quâve injuriâ, *d. l. 1. §. 1. add. l. 1.*  
*§. 4. 5. de extraord. cognit.* Huic Veteres *καὶ ἕξο-*  
*χην* augustum Philosophiæ nomen impertiêrunt:  
hinc eadem Jurisprudentiæ & Philosophiæ defini-  
tio, quòd sit nempe *rerum divinarum & humana-*  
*rum*, id est, omnium (*nil mihi quicquam, neque divi-*  
*ni, neque humani, accreduas postidâc, si fallo, Plant. &*  
*alii.*) *notitia, justî atque injusti scientia*, *l. 10. §. 2. D.*  
*de J. & J.* quæ demum verba discriminabant Juris-  
prudentiam ab aliis Disciplinis, *Cicero offic. 2. Seneca*  
*Epist. 90. alii, add. §. 1. Constit. 1. Concept. Digest,*  
*ad Tribon.* Indè Princeps, qui omnia Jura in scri-  
nio Pectoris sui circumferre conclusâ existimatur,  
*l. 19. C. de Testam.* Philosophiæ plenus perhibetur;  
*l. penult. C. bis quibus ut indignis.* Et Veteres Jctos  
plerosque omnes Divæ hujus sacris operatos fuisse  
innuit *l. 2. de LL. & SC. & longâ Consuetud. l.*  
*ult. D. Nundinis, l. Cicero D. pœnis l. 36. D. Solutioni-*  
*bus, l. propemodum 16. D. Judiciis l. 12. D. statu, l.*  
*2. §. 40. O. J. l. 6. §. 1. D. de J. & J.* Apud Cic-  
ronem *lib. de Naturâ Deorum* tres Jcti in tres sectas  
divisi: Velleius Epicureus negat Deos eorundem-  
que Providentiam: Lucilius Balbus Stoicus ean-  
dem asserit: Cotta Academicus nutat in utramque  
B partem;

partem; add. ejusdem 3. *famil. epist.* 9. & 7. *ep.* 12. & *orat. pro Lucio Murena*: Eisdem divina humanaque jura, i. e. omnia, cognitione complexos fuisse *d. l.* 10. §. 2. adfatentur *Valer. Max.* 8: 8. & 5: 8. *Tacit. Annal.* 3. & 5. *Macrob.* 7. *cap.* 13. *Gell.* 4: 6. & 10: 15. *Cicero.* 2. *de LL.* 1. 1. §. 2. *D. eod. vid. D. Tit. de Relig. & mortuo infer. & priorem C. librum.*

*Quod admittitur, non tamen sine nota novorum quorundam Juris Romani.*

Nec invidiam Romanæ Jurisprudentiæ hanc laudem. Est certè illud bonam partem ad præscriptum æquitatis, dictante Ratione, suadente bono Reipublicæ, compositum, diffusum & quoddam quasi Gentium Jus; sed pulchro hoc inspersos corpore nævos deprehendêrunt dudum & levato, quod dicitur, velo, apricârunt Eruditi.

§. VII

*Digressus ad pertractandum nostrum Thema.*

Agedum, accingamur tandem ad nostrum pensum, & firmemus Veritatem Oraculi Nostri Ulpiani!

§. VIII

*Ostendendo, Hominem animans quidem esse; sed eximium animans.*

Homo animans quidem est; sed eximium animans multoquæ longius distans à cæteris omnibus, quàm cæterorum genera inter se distant. Nobile illud depositum, divinæ particula auræ, Ratio, antecedere illi animalia immenso intervallo & accedere ad Deum dedit. Ipsum, quod cum brutis commune habet, Corpus singulari venustate ac Majestate ditasse Natura majorique cum curâ concinnasse videtur,

*Pronaque cum spectent animalia cætera Terram,  
Os Homini sublime dedit, Cælumque tueri  
Jussit, & erectos ad sycdera tollere vultus.*

Idem

§. IX.

Idem tamen infirmum, fragile, inop<sup>r</sup>, impo- Deteriori  
tamen Bru-  
torum con-  
ditione, in-  
ops, impo-  
rens, brevi  
periturum,  
absq; conge-  
nerum adju-  
vante.  
tens, infrà etiam Brutorum conditionem: ojectum,  
Prædam animalium & victimam, facillimum & vi-  
lissimum sanguinem, miserrimum evanidumque  
brevissimi temporis ludibrium, absque aliorum  
sibi congenerum ope & præsidio esse constat. Cæ-  
teris animalium in tutelam sui satis virium est: sen-  
tit etiam vim quodque suam, quâ possit abuti, ut  
cum *Lucretio* loquar, in sui propugnationem, aut  
aliorum noxam: Natura quodque animal sibi com-  
mendat: eadem illis prospexit de omnibus necessa-  
riis ad vitam sustentandam. Hominem imbecilli-  
tas cingit; non dentium vis, non unguium, non  
cornuum robur terribilem cæteris fecit:

*Tum porro Puer ( ut sævis projectus ab undis  
Navita ) nudus bumi jacet, infans, indigus omni  
Vitali auxilio, cum primum in luminis oras  
Nixibus ex alvo Matris Natura profudit,  
Vagituque locum lugubri complet, ut æquum est,  
Cui tantum in vitâ restet transire malorum.*

Rationis in illo nec scintillula emicat, demùm diu-  
tinâ sui similibus consuetudine sensim adolescentis  
& sese promentis: Multis quoque rebus, vitæ pro-  
ducendæ & ritè tuendæ, indiget, quâ comparan-  
dis impotens ipse sit ac impar.

§. X.

Duæ ergò res, obnoxium cæteris, validif- Soebian  
ergò illum  
supra fortis  
Evocorum  
Ratio & Soc-  
ietas:  
Ad quam  
simum fecerunt, Ratio & Societas: Hujus appeti-  
tum excellentem infervit ei Natura, additis Veneris  
inter disparis sexûs Personas acerbis stimulis & te-  
nerrimo, præcipuè Matris, ergà prolem affectu &



nos curâ  
impelli, na-  
turâ sic or-  
dinante, va-  
riè adstrui-  
tur.

solicitâ curâ. Finxit eidem aptissimum & egregiè idoneum, sui & commodorum suorum amantissimum, studiosissimum. Rectè *Aristoteles* Hominem censuit ζῶον πολιτικόν, quicquid reclamet *Hobbesius*, nescio quod Bellum omnium in omnes odio novercantis Naturæ impingens. Videas Naturam, ut cætera ejus opera, concordiam quamvis discordi, mirè inter se conspirant & absolvunt summam pulcherrimam Universi, ut etiam in Brutis societatis imago elucet: *Canis caninam non est,*

*Tigris agit rabiâ cum Tigride pacem:*

*Parcit cognatis maculis fera, &c.*

præcipuè in conjunctione Maris & Foeminae & foetuum curâ ac studio; ita præcipuè coctum illum Hominum vinculo Amoris astrinxisse. In infantibus ante omnem Disciplinam ostendit se ad bene aliis faciendum propensio quædam, prudenter à *Plutarcho* observata; sicut & in eâ ætate misericordia sponte prorumpit. Societatis peculiare Homo solus inter animantes instrumentum obtinet sermonem. Hanc imperat Necessitas, suadet Ratio, ad hanc nos alliceret, etiamsi re nullâ indigeremus, ipsa communis Natura (*Cognitionem quandam inter nos à Naturâ constitutam, inquit Florentinus*) &, quod fortissimi sumus, mite ac curiosum ingenium, & segræis atque solitaris, quantumvis beatæ, vitæ tœdium. Ratio & Societas nobis Dominium omnium animalium dedit & usum totius hujus inferioris Naturæ, munere Dei. Hæ vitam instruxere mille commodis totque Scientias & Artes invexerunt & cottidie provehunt, *hæc mihi lege Cicer. de Amicitia*. Verberbium est: Homo Homini Deus; sed &, lupo atque Diabolus.

Hinc Homo  
Homini ma-  
xime etiam  
creans com-  
moda:

§. XI.

§. XI.

Idem namque magnifice de se sentit, alios præ se fastidiosè despiciens, parem ferre gravatur, superiorem indignatur, facile irritabilis mox ad contumelias quoquè modò & injurias procurrit, Cupiditatum, maximè Libidinis, bruto & cœco æstui, ingeniosâ nequitia, indulget: Fatigatur rei augendæ periculoso labore & sollicitâ nullisque arctatâ limitibus curâ, dum ne sit se ditior alter; aut molli otio, luxu & mille voluptatum illecebris ac deliciis fluenti, oblectare ætatem parat; aut denique superbis altius assurgens cogitationibus & in spes improbas erectus, quàm plurimos, seu arte, seu Marte, suæ potestatis jugum subire adactos voluntatis imperio suppliciorumque metu continet in officio suamque munit Majestatem, & quod libet licere sibi vult sibi que omnia deberi. Scilicet Vitam beatam appetimus & suspiramus omnes; huic assequendæ nil intentatum, nihil inausum linquimus; at quid illam efficiat, caligamus maxima pars Hominum, falsis decepti bonis, & cæstro Cupiditatum perciti lenociniisque capti negligimus atque abjicimus:

*Maxima item damna, viriosis cupidinibus indulgens.*

— *Velut sylvis, ubi passim  
Palanteis error certo de tramite pellit:  
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit, unus utrique  
Error, sed variis illudit partibus, Horat.*

Vid. Senec. de vitâ beatâ.

§. XII.

Hanc ergò Societatem ut jura quædam & mutua officia contineant ac muniant, necesse esse probabat olim memorabili Latronum exemplo *Aristoteles.*

*Unde homo Hominem inter se Societatem quibusdam legibus sustentandam patet.*

§. XIII.

§. XIII

Scilicet de-  
prehendit o-  
mnis Homo,  
sincerâ rati-  
one utens,  
actiones  
quasdam  
cuius illi con-  
venire, cum  
sua naturâ  
& Societatis,  
imò univer-  
sâ rerum Na-  
turâ, contrâ  
se habere  
in aliis.

Cujus etiam  
prebet argu-  
mentum  
Conscientia  
læta, aut an-  
xia, prout  
anteacta  
vita fuerit;

Que Consci-  
entia vis  
provenit ex  
sensu & no-  
tione Numi-  
nis perfectis-  
sima.

Nempe cuicumque Rationis usus integer est, honesti ac turpis, boni & mali, virtutis & vitii ideam aliquam & quasi innata femina custodit, & erueri ac excitare faciliè potest. Certas scilicet Actiones honestas, Rationi, Affectibus non corruptæ, convenientes, decoras, fundatas in ipsâ humanâ Naturâ & Societatis, imò universâ rerum Naturâ; in aliis contrâ aliter omnia sese habere agnoscit, vel invitus, omnis Homo: *ἐνια εὐδὺς ἀνόμασαι συνειλημμένα μετὰ τῆς Φαυλότητος*, inquit *Aristoteles*. Nam ut esse rerum, postquam sunt & quâ sunt, aliunde non pendet, ita & proprietates, quæ esse illud necessariò consequuntur; Talis autem est malitia quorundam actuum, comparatorum ad Naturam sanâ Ratione utentem. Huc accedit non exiguum pondus Conscientiæ lætæ & beatæ, aut se damnantis atque torquentis, prout Rationis sinceræ dictamina observata, aut neglecta fuerint, morigerando inconsulto & temerario damnosè blandientium & blandè sævientium Cupiditatum raptui, *Rom. II. 15*. Et apud *Authores* passim invenias de conscientia, *conscientia laniatu, surdo verberare, exercitibus scelerum supplicia curis, datâ pœnâ formidine pœnæ, pallore ad omnia fulgura*, & similibus; quæ coercere facile esset. Putatque *Plato*, si *Tyrannorum pectora introspicere possent, comparituros laniatus atque flagellorum ictus, quibus miserè exagitantur*. Mortalium etenim nullus Humanitatem ita exuit & lumen Rationis exstinxit, quin aspectabilis hujus Mundi contemplatio, & sui ipsius scrutinium, & argumenta alia multa convictum rapiant in agnitionem

nem Numinis Sapientissimi, Potentissimi, Ter Optimi Maximi, sui & Cœli Terræque Opificis, Gubernatoris & Sustentatoris, cui se suaque omnia debeat ac proinde sine exceptione parendum sibi sit, cuiusque legem cordi suo insculptam haud impune violat, obediens verò utcunque spe benignæ remunerationis sustineatur: τὸ γινώσκον τῆς Θεῆς Φανερόν ἐ-

*Remuneratoris, si leges ejus servas: fin, Vindictis earundem.*

σιω ἐν αἰσίοις ὁ γὰρ Θεός, κλ. Rom. I. 19. & seqq. II, 14. 15. & I, 32. Act. XVII. 24. & seqq. Et apud τῆς Δύραθεν sexcenta in hanc rem dicta occurrunt, quæ cumulare esset actum agere. Hinc illud Poëtæ:

*Sunt aliquid Manes, letibum non omnia finit:*

hinc immortalitas Animæ & inferorum cruciatus, & suavia de Campis Elysiis somnia:

————— *Amœna vireta*

*Fortunatorum Nemorum sedesque beata, &c.*

credita plerisque. Hinc quæ non aliquo sensu Numinis tangatur, & Ideam, cui cuimodi demùm, fo-veat cultuque externo, additis arbitrariis quibusdam ritibus, verè, cum *Epiphanio*, ἐπελοπερισσο-φροσκειά, promat & profiteatur, Gentem reperias nullam.

§. XIV.

Hoc est illud Jus Naturale & commune omnium Gentium l. 9. D. J. & J. aut faltem morationum: rectè namque *Aristoteles Pol. 1, V. Quid naturale sit spectandum in his, quæ bene secundum naturam se habent, non in depravatis*; omni valens tempore, ceu immutabile, §. II. *Inst. J. N. G. & C.* malè olim à Carneade negatum, aut stultitiæ nomine traductum apud *Lucian.* & item *Horatio*:

*Que dictata Natura Rationalis ac Socialis, Jus Naturale, seu commune omnium gentium vocant.*

*Nec*

Hujus Prin-  
cipia animo  
rité adver-  
tenti per se  
patent &  
statim se pro-  
bant.

*Nec Natura potest justo secernere iniquum,*  
add. *Laert. de Cyrenais.* Hujus principia, si modò  
animum rectè advertas, per se patent atque eviden-  
tia sunt, fermé ad modum eorum, quæ sensibus ex-  
ternis percipimus; qui & ipsi, bene conformatis  
sentiendi instrumentis, & si cætera necessaria ad sint,  
non fallunt, sicut ignis hîc urit & apud Persas. I-  
dedò in Phænissis *Euripides* sic loquentem facit *Polyni-*  
*cem*, cujus apertè justam vult fuisse causam:

*Hæc sum profatus, Mater, haud ambagibus  
Implicita, sed quæ regulis æqui & boni  
Suffulta, rudibus pariter & doctis patent.*

Statimquæ addit *Chori* ( constat is autem ex fœmi-  
nis iisque barbaris ) judicium, dicta approbantis. I-  
dem *Euripides* *Andromacham* *Hermioni* dicenti:

ὁ βαρβάρων νόμοισιν οἰκῆμεν πόλιν:

respondentem facit:

Κακῆ ἰά γ' αἰχρὰ, κ' ἐνθά δ' αἰχρὴν ἔχει:

*Quæ turpia illis, hîc quoque haud culpa vacant.*

Vestigia ejus  
in Brutis  
quoque se  
asserunt;

Hujus Juris, ut & Rationis, umbra quædam & ve-  
stigia in Brutis quoque apparent, & hinc haud du-  
biè est, quòd ejusdem quoque peritiâ censentur,  
*princ. Inst. de Jure N. Gent. & Civ. add. Plin. lib. 8. 5. & lib.*  
*10.* sed Juris propriè capax non est, nisi Natura præ-  
ceptis utens generalibus, quod rectè vidit *Hesiodus*:

Sed propriè  
ejus capax  
solum homo  
est.

Τὸν δ' εἰ γὰρ ἀνθρώποισι νόμον δῖε Ἰάξε Κρονίων,  
Ἰχθύσι γὰρ κ' θηροῖσι, κ' οἰωνοῖσι πέλει νῶϊς,  
Ἐδόμεν ἀλλήλους, ἐπεὶ ὁ δίκην ἐστὶ μέγ' ἀνθρώπων;  
Ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην, ἢ πολλὸν ἀείρη:

*Humano generi nam lex datur ab Jove summo:*

*Quippe feræ, pisces, avium genus altivolantum,*

*Mutua*

*Mutua se vertunt in pabula, juris egentes ;  
Justitia at nobis, qua res est optima, cecidit.*

*Add. Cicer. de Offic. primo, Plutarch. in vitâ Catonis  
Maj. Laſant. lib. 5. Polyb. lib. 6. Huc pertinent ergâ  
Deum Religio, ut Parentibus & Patriæ pareamus,  
l.2.D.de J.& J.conjunctio maris & foeminæ,quod ma-  
trimonium appellamus, liberorum educatio l.1. §.3.  
eod. ut vim atque injuriam propulsemus, &c. l.3.D.  
eod. contractus feré omnes, l.5.D.eod.*

§. XV.

At verò, nescio quomodo,

*Nitimur in vetitum semper cupimusque negata;*

*Sic interditiſ imminet ager aquis,*

& cum Medea illâ Ovidianâ ultrò quisque cogitur fa-  
teri: *video meliora proboque, Deteriora sequor,* & alter  
alteri ad nocendum proclivis est,feroxque *jura negat*  
*sibi nata*, ut jam dictum, insuperhabitis pœnis illis  
longinquis, post hanc demùm vitam infligendis,  
quamquam earum vim sæpe etiam in hâc vitâ re-  
præsenteret Judex ac Vindex Deus. Scilicet futurum  
incertum, caliginosâ nocte premitur, &, ut dicitur  
Græcorum proverbio :

*Multa cadunt inter calicem supremaque labra,*

& facinorosi Homines, ejusmodi calculum ponen-  
tes, terriculamenta esse, vel non ita graves ac ditu-  
turnas illas extimas pœnas arbitrantur, supprimitur-  
que sensim ac evanescit tortor ille animus, & quæ

*Stat contrâ Ratio, & secretam gannit in aurem;*

Quin tandem ejusmodi Homines, si tamen Homi-  
nes, ideam illam & sensum Numinis obruunt atque  
oblitterant, assuetudine peccandi, quanquam post-  
modùm reviviscentem & geminatis verberibus mi-  
feros

*Cum verb  
Homines na-  
tamur in  
venitum,  
spretis, aut  
oppressis, quo  
memoravi-  
mus, & alter  
alteri fera-  
tur ad no-  
cendum:*

feros lancinantem. Hæc est illa Πώρωσις *Paulina*, & συνείδησις κεκαυσθηριασμένη, hæc illa ἀποθνήωσις, hic ille Atheismus & alienatio à vitâ Dei, hæc illa ἐνέργεια τῆς πλάνης, ut idem loquitur.

§. XVI.

*Esagitabantur vii quædam externa, que coërceret improborum licentiam, omnia sursum deorsum versuram.*

*Hic ortus particularium cæsum, suis legibus suppliciorumq; metu devinctum.*

Malitia ergò Hominum, noxa & damnum & effe-  
rentes sese pravæ cupiditates hominemque trans-  
versum agentes postulârunt vini quandam exter-  
nam, ne inulta improborum & infinita Licentia & furi-  
bunda audacia omnia miscerent ac perderent, &  
coëgêrunt certam Multitudinem in unum cœtum,  
suis legibus suppliciorumque metu devinctum, ut  
quibus singuli pares non essent, his universi præ-  
valerent. Rectè *Hesiodus* Reges primitus constitutos  
vult juris fruendi & vitæ pacatæ tutæque gratiâ, ne  
jus esset in armis & valentior imbecilliorum & in-  
nocentem opprimeret, aut dolis circumveniret sim-  
plicem ac incautum ingeniosus Nequam;

— *Ut Pisces sæpe minutos*

*Magnus comest, ut aves enecat Accipiter, Varro.*

Sic autem *Hesiodus*:

Τῆνεκα γ' βασιλῆες ἐχέφρονες, ἐνεκὰ λαοῖς  
βλαπτομένοις ἀγόρηφι μέλατροπα ἔργα τελεῦσι;

*Hæc unâ Reges olim sunt sine creati,*

*Dicere jus Populis injustaque tollere facta*

qui que summos cum infimis pari jure retinerent: Et  
hoc demum sensu

*Utilitas justî prope Mater & æqui,*

itemque:

*Quamquam  
& alia cau-  
se illos con-  
stituire po-  
tuerunt.*

*Jura inventa metu injusti fateare necesse est:*

Quamquam & indigentia unitâque operâ mutua  
pro-

promovendi commoda studium colligere Homines, aut Eloquentia & eximiæ alicujus dotes benefici-  
orumque magnitudo addictos sibi animos huc im-  
pellere, aut diffusæ familiæ coire, aut & iniqua ac  
violenta, vel fraude grassans Dominatio subdere  
invitos potuêrunt.

§. XVII.

Quod verò Multitudo jus in singula membra  
à singulis naçta, jus suum cuique tribuendi, inva-  
lidum à potentioris furis vindicandi, Dominia  
tuendi, injustè ablata reparandi, communibus viri-  
bus Hostem repellendi, id transcribere licebat vel  
uni eximiis dotibus eminenti, vel pluribus Opti-  
matibus.

*Jus verò,  
quod Multi-  
tudo in  
singula  
membra à  
singulis na-  
çta, poterat  
deferri vel  
uni, vel  
pluribus.*

§. XVIII.

Hi jam leges ferre, Judicia exercere, castigare  
fontes, vel etiam pertinaces, aut enormiter pec-  
cantes, capite multare, quamquam

*Qui teneban-  
tur agere,  
quod faceres  
ad rei publi-  
cæ Salutem  
& Bonum;*

*Nulla unquam de morte Hominis cunctatio longa est,*  
ut id obiter notemus, tributa & vestigalia impera-  
re, singulorum bona & fortunas usibus publicis  
dispensare, bella indicere, fœdera pangere, & quæ-  
cunque ad Reipublicæ Salutem & bonum accomo-  
data judicarent, agere tenebantur; Sed & illorum  
imperium variè limitare & restringere poterant qui  
deferebant, Successionis serie, vel liberis Suffragiis,  
& omninò, quoties imperio suo malè uterentur,  
in manifestum Subditorum exitium, coërcere, pu-  
nire & de fastigio suæ dignitatis dejicere.

*& ex præ-  
scripto illo-  
rum, qui po-  
testatem  
illis confere-  
bant.*

Ut verò dicamus jam nunc debentia dici:

§. XIX.

Jus est Homini vitam suam contra injustum  
C 2 Aggres-

*Jus esse Ho-  
mini vitam*



*nam contra iniustum aggressorem, vel cum illius noxâ & occisione, servato moderamine inculpatae tutelae, propugnandi, variis argumentis asseratur.*

Aggressorem, vel ad pugnam provocantem, etiam in Personâ errantem, aut bonâ fide militantem, aut insaniâ insomniisve agitatum, etiam si illius vita multis utilis sit, etiam subdito contra imperantem, quô modô, intrâ tamen moderamen inculpatae tutelae, de quo vide D D. Grot. Puffendorff. & nos infra, vel cum illius noxâ & occisione, si aliter mors evadi nequeat, imò & innocentis, qui interpositus defensionem, aut fugam impedit, propugnandi atque tutandi: Impellit huc vehementissimus vitæ amor: abhorret Natura ab interitu & noxâ, Mortemque, *ceu πάντων τῶν φοβερῶν φοβερῶτατον, cum Aristotele*, averfatur: Videas illam omnia Membra, omnes vires excitare ad sui defensionem & conservationem. Est certè Vita longè præstantissimum Numinis beneficium, reliquorum omnium jurium fundamentum:

*ὃ γὰρ ἀπόβλη' ἐς Θεῶν ἐρικυδέα δῶρα,*  
Homerus.

Nullò, qui vi, vel fraudulentis machinationibus illam impetit insultatque, jure gaudet; Sux quisque vitæ utique Dominus, & æquum est, qui malè facit, ut malum ferat, & quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem utatur, quod antiquissimum & Rhadamanthéum jus vocant Philosophi, Pythagoræi ἀνίπτερον θός:

*Εἴτε πάθῃ ἢ κ' ἐπέξει, δίκη κ' ἰθεὶα γένοιτο:*  
Quæ fecit si quisque ferat, jus fiet & æquum,  
Aristot. 5. Ethic. 8. Seneca, ludo de morte Claudii:

— Neque enim Lex æquior ulla est,  
Quàm necis Artifices arte perire sua, Ovid.  
ex

ex hoc etiam jure venit poenæ inter Homines meritum. Morali judicio non videtur æstimandum illud periculum, in quod ipsum se quis conjicit & unde se potest eximere; Adeoque manifestam æquitatem hoc habet, ut in Bestiis etiam, quæ juris non rem ipsam, ut diximus, sed instar habent quoddam, distinguamus inter vim, quæ injuriam infert, & quæ propulsat, l. 1. *D. si quad. paup. f. d. §. ait, & §. cum Arietes*: Nam cum dixisset *Ulpianus*, animal, quod sensu, id est, Rationis usu caret, non posse injuriam fecisse, mox tamen subjungit, cum Arietes, vel Boves commisissent, & alter alterum occidisset, *Q. Mutio* Auctore distinguendum, ut siquidem is perisset, qui aggressus erat, cessaret actio, si is, qui non provocaverat, competeret actio, *add. Exod. XXI. 28.* cui explicando serviet illud *Plinii*: *Leonum feritas inter se non dimicat, Serpentum morsus non petunt serpentes; Sed si vis inferatur, nulla est, cui non sit vis, non sit animus injuriæ impatiens, & prompta, si noceat, ad se defendendum alacritas.* Suffragatur l. 3. *D. de J. & J.* & quod quis ob tutelam Corporis sui fecerit, jure fecisse existimat, & cum inter nos cognationem quandam Natura constituerit, hominem homini insidiari nefas esse, & l. 45. *D. ad L. Aquiliam l. 1. D. §. vim vi, De vi & vi armata*: *Vim vi repellere licere Cassius scribit, idque jus Naturâ comparatur: apparet autem, inquit, ex eo arma armis repellere licere,*

*Armaque in armatos sumere jura sinunt. Ovid.*

Advocat *Cicero* & Sapientum & communem Gentium consensum & naturalem instinctum in Bestiis etiam, *pro Milone*: in *Halieuticon fragmento* est:

— — — *Omnibus Hostem*

*Præsidiumque datum sentire, & noscere teli  
Vimque modumque sui,*  
scilicet animantibus, & *Horatius:*

*Dente Lupus, cornu Taurus petit, unde, nisi intus,  
Monstratum?*

*add. Propbyr. de non esu animalium. 3. Lucret. Galen. Xenoph. Homini arma quidem agnata non sunt; Sed apta armis parandis ac tractandis manus, robustus illi thorax brachiaque concessa sunt, ut illatam injuriam manu defenderet, & objectu corporis, quasi quodam Clypeo, vindicaret, Galen. de usu part. Cassiod. de animâ, Aristot. de part. animalium 4: 10. manu etiam pro armis uti sponte suâ, nec aliunde id edoctos, infantes videmus. Recta autem Ratio & custodia Societatis & lex Charitatis non omnem vim inhibet; sed eam demùm, quæ Societati repugnat, id est, quæ jus alienum tollit: Quid quòd vinculum illud, quo invicem obstringemur, Societatis in-vasor jam ruperit? Hinc Bella juris Gentium, quod & Naturæ dicitur, l. 5. D. de J. & J. coll. l. 3. eod. & d. l. 45. D. ad l. Aquil. & Liv. lib. 14. faciunt: Probat id, non omne scilicet Bellum juri Naturæ adversari, ampliùs ex sacrâ Historiâ & lege veteris Testamenti & etiam Evangelicâ, Magnus ille Grotius, lib. 1. cap. 2. de J. B. & P. Cujus me interdum arâsse Vitulâ ingenuè profiteor: Jubemur certe iis Legibus, convenienter naturali præcepto amoris, proximum amare juxtâ nos ipsos, non præ nobis ipsis; imò, ubi par malum imminet, non vetamur nobis potius, quam aliis consulere. Interest etiam Societatis, ne sceleribus Hominum indulgeatur; sed qui alterum, meditatô & profectò immani scelere, occiderit, & ipse mortis*

mortis supplicio damnetur, ne promiscua cædium invalescat licentia : Consentit Lex data Noæ ejusque Posteris, *Genes. IX. 5. 6. Quisquis effuderit sanguinem Hominis, qui est in Homine, sanguis ejus effundetur, quia Hominem ad effigiem suam fecit Deus: Ex hujus naturalis æquitatis sensu Cain, parricidii sibi conscius, dixerat, Genes. IV. 14. Qui inveniet me, interficiet me.*

S. XX.

Non verò metus qualiscunque ad jus occupandæ interfectionis sufficit : Verè enim dictum est à *Cicerone, primo de Officiis, plurimas injurias à metu proficisci, cum is, qui nocere alteri cogitat, timet, ne, nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo. Clearchus apud Xenophontem : Multos ego novi, qui Calumniâ adducti, aut suspitione, dum metuunt alios, & prævenire malunt, quam perpeti, atrocissimis malis eos affecerunt, qui nihil tale facturi fuerant, ac ne cogitaverunt quidem. Insignis est illa apud Gellium Sententia : Gladiatori composito ad pugnandum pugna hæc proposita sors est, aut occidere, si occupaverit, aut occumbere, si cessaverit ; Hominum autem vita non tam iniquis, neque tam indomitis necessitatibus circumscripta est, ut idcirco prior injuriam facere debeas, quam nisi feceris, pati possis : & apud eundem Ciceronem : Quis hoc statuit unquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum jure potuerit occidere, à quo metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur ? Locum hîc habet illud Euripidis:*

Ἐὶ γὰρ σ' ἐμέλλεν, ὡς σὺ Φῆς, κλείνειν πόσις,  
 Χρὴ καὶ σε μέλλειν, ὡς χρόνος δῆθεν παρῆν :  
*Te si, ut aûs, interficere vir voluit tuus,  
 Voluisse sat erat & tibi, ubi tempus foret. Cui*

Cui geminum est *Ibucydideum* illud: *Futurum in incerto adhuc est, nec quemquam oportet eo commotum inimicitias suscipere, non jam futuras, sed certas.* In tales non malè convenit illud Vibii Crispi à *Quintiliano* laudatum: *Quis tibi sic timere permisit?* etiam *Livia* apud *Dionem* ait, infamiam eos non effugere, qui facinus, quod timent, occupant.

§. XXI.

*Sed requiritur periculum visa aliter ineluctabile:*

Quòd si quis ergò vim non jam præsentem intentet, sed conjurasse, aut insidiari compertus sit, si venenum struere, si falsam accusationem, falsum testimonium, iniquum iudicium moliri, hunc nego jure posse interfici: Hic enim aliter evadi periculum potest, per legitimos tramites & auxilium Judicis: Aut sanè non certum satis est, aliter evadi non posse: Plerumque enim interposita temporis mora ad multa remedia, ad multos etiam casus patet, ut dici solet *inter os & offam.*

§. XXII.

*Improbatur ergo omnis privata Ulnio.*

Liquet hinc etiam, omnem cædem, aut læsionem Hominis, quæ ex privatâ vindictâ oritur, congruere quidem ei Naturæ, quam Homo cum Bestiis habet communem: Est enim ira, ut in Bestiis, ita in Homine fervor sanguinis circa cor ob appetitum reponendi doloris, qui appetitus adeò per se caret ratione, ut sæpe feratur in ea, quæ non læsêrunt, ut in foetus feræ, quæ læsit, aut in sensu carentia, ut in lapidem, quo ictus est canis. At talis appetitus, quatenus vitium involvit, non convenit parti rationali, cujus est imperare affectibus; ac proinde nec juri Naturæ, quod est dictatum Naturæ Rationalis ac Socialis; Dictat autem Ratio,

Ratio, Homini nihil agendum, quo noceatur alteri, nisi id bonum aliquod habeat propositum. In solo autem inimici dolore nullum est bonum, nisi falsum & imaginarium. Atque hanc ultionem improbant non Christiani modo Doctores, sed & Philosophi, Seneca: *Ultio à contumeliâ non differt, nisi ordine.* Qui dolorem regerit, tantum excusatus peccat; imò Maximo Tyrio iniquior est, qui se ulciscitur, eo, qui prior nocuit; Musonius: id, ait, cogitare, quomodo quis remordeat mordentem & nocenti noceat, fera est, non Hominis. Atque adeò quò Hominum quilibet minus valet Rationis usu, eò ad vindictam prior, Juvenalis:

*At vindicta bonum vitâ jucundius ipsâ.*

*Nempe hoc indocti, quorum præcordia nullis  
Interdum, aut levibus videas flagrantia causis:*

*Quantulacunque adeò est occasio, sufficit iræ.*

*Cbrysippus non dicet idem, nec mite Thaletis*

*Ingenium, dulciq̃ue Senex vicinus Hymetto,*

*Qui partem accepta sæva inter vincla cicutæ*

*Accusatori pollet dare. Plurima felix*

*Paulatim vitia atque errores excuit omnes,*

*Prima docens rectum Sapientia: quippe minutè*

*Semper & infirmi est animi exiguique voluptas*

*Ultio: continuo sic collige, quod vindictâ*

*Nemo magis gaudet, quàm Femina,*

*add. Lactant. lib. 6.*

§. XXIII.

Verùm enimverò quod prohibet Naturam, <sup>Aristoteli</sup> recta Ratio & custodia Societatis, ut Homo Homi- <sup>plurimè veri-</sup> nem occidat, eive noceat, idem multò magis in se <sup>tatis esse legi</sup> cuique licere vetat, ut quod maximè. <sup>Natura</sup> <sup>probatur.</sup> Suprà me-

D

moratis

moratis rationibus adde: Quodd ejusmodi *ὀλιόχῃ* ingratissimè injurius in benignissimum Numen, quod Hominem, velut aliquâ in statione, in hâc vitâ locavit, à quâ ejus injussu non liceat discedere, expectando vitæ exitum, quem Natura decrevit, quodque voluit, ut impositam sibi in hoc mundi Theatro quivis sustineat Personam, humanam Societatem pro virili juvando, & rudem animum formando atque expoliendo omnigenâ doctrinâ, & virtutis obsequendo imperio ejusque velut habenis compescendo oblectantes & luxuriantes affectus; injurius adeoque in humanum simul Consortium, quod malignè & nequiter destituit. Tumidus & imprudenti malitiâ obstinatus, vilis, mollis & dejectus animus, suorum sibi criminum conscius, quæ ne propalentur anxîâ & assiduâ maceratur cogitatione aut subeunda supplicia exhorrescens, pertæsus miseriarum atque exosus, quævè ingruitura timet, vano fortè ac supervacuo timore, subterfugere mala festinans, ad ultima hæc pudenda & poenitenda consilia, insano impetu καὶ μελαγχολικῶ ἰσὶ πάθει, vel etiam fortitudinis & Gloriæ vitæque melioris dulci errore, deducitur.

*Hic, rogo, non furor est, ne moriare, mori?*

Et

*Fortiter ille facit, qui miser esse potest, ut optimè contra Stoicos Martialis; Virgil. de his, qui sibi mortem consciverunt, ubi de Inferorum poenis:*

*Proxima deinde tenent mœsti loca, qui sibi lethum  
Insontes peperere manu, lucemque perosi  
Proiecere animas: Quam vellent æthere in alto.*

*Nunc*

*Nunc & pauperiem & duros perferre labores.  
Fata obstant, tristique palma innabilis undâ  
Alligat, & novies Styx interfusa coërcet.*

In hanc rem multa videre est apud *Platonicos*, & *alios etiam non paucos*, contrariam Stoicæ sententiam tenentes, *Plot. Olympiod. & Macrob. ad Somn. Scip. adde Lips. III. Manud. ad Pbil. Stoic. Dissert. XXII.* Hanc sententiam secutus Brutus olim Catonis, quod imitatus postea est, damnaverat factum; & *Megasthenes* apud *Strab. XV.* notabat, ab Indorum Sapientibus reprehensum Calani factum: Neque enim Eorum placitis probari talem exitum Hominum vitæ impatientium; Idem Arabibus visum discas ex *Jobi III. 21.* Nec aliena Persarum videtur sententia, quorum Rex *Darius* apud *Curtium: Alieno scelere, quam suo, mori mavult.* Hinc & apud plerasque, moratiores saltem, Gentes pœna aliqua in eos, qui violentam sibi mortem accerferint, recepta, ut eorum corpora sepulturâ prohibeantur, aut aliâ ignominia afficiantur: de Hebræis vid. *Joseph. lib. 3: 25. de bello Jud. Hegez. lib. 3. cap. 17.* sic *Milesiæ Virgines* à voluntaria morte absterritæ, *Gell. lib. 15. c. 10. Plutarch. de Mul. Virt. & Plebs olim Romana, Plin. lib. 26. c. 15,* sic *Cleomenis* corpus, qui se interfecerat, *Ptolemaeus* suspendi jusserat, add. *Aristot. lib. Ethic. 5. cap. ult. & tot. Tit. de his, qui sibi mort. conscisc. & hoc sensu Dominus membrorum suorum, multò magis ergò vitæ, nemo videtur, l. 13. princ. D. ad L. Aquil. add. l. 1. §. 15. D. de ventre in possess. mitt. quin capite ple. et i jubetur, qui sibi vulnus intulerit, eâ mente, ut se ipsum occideret, l. omne delict. 6. §. qui se vulner. 7. D. de re milit.*



§. XXIV.

*Bene tamen  
genus vitæ  
eligi potest,  
quod futurum  
acceleret.*

Quin tamen genus vitæ eligi possit, quale apud *Homerum* Achilles elegit, quod morbos, & alia plura acceleret incommoda, mortem denique, in *inclutis* in rempublicam meritis conspicuum; quin etiam Patriæ impendere spiritum, aut grave suscipere periculum, honestum, decorum & magnis celebratum laudibus sit, inficias nemo iverit.

§. XXV.

*Adstruuntur  
jus membra  
sua defendendi  
contra vim inju-  
stam.*

Jus est Homini membra sua integra, sarta tecta conservandi. Quod de vitâ adstruximus hætenus, obtinet & circa membra corporis & valetudinem, omni modo fovenda, alenda, tutanda atque curanda. Damnum certè membri, præsertim è præcipuis, valde est grave & vitæ quasi æquiparabile & quod totum corpus deformet; adde, quòd vix sciri queat, an non periculum mortis post se trahat: impedit certè, quò minus quis officio suo & opere, quo se & familiam suam sustentat, defungi queat, ut taceam acutum & molestum sensum doloris, à quo refugit Natura: quid quòd is, qui invaditur, liquidò judicare nequeat, quo sine sit statura læsio?

§. XXVI.

*Potius ta-  
men quan-  
doque mem-  
brum recidi.*

Membrum tamen inutile, molestam remeligi- nem objiciens, conclamatum, ne pars sincera trahatur, tolli utique potest: Hic certè minus malum rationem boni induit: Huc pertinet & quem §. 24. excepimus casum.

§. XXVII.

*Pudicitiam  
bonesta Fe-  
mina jus es-  
se quidem  
propugnandi;*

Pudicitiam qui attentet & laceffat, ejus quidem impetum frangere, Machinationes eludere; at cum ejusdem cæde, jus esse vix putem. Ejus quidem integritate decus sexûs foemineæ maximè æstimatur,

matur, *Nov. 5: 6. in fin.* accedente ejus imbelliâ, quæ omnibus modis contra impurorum Hominum lasciviam munienda, & non tantum communis æstimatio; Sed & Lex divina pudicitiam vitæ adæquat; de Hebræis vid. *Selden. de J. N. & G. lib. 4: 3.* de Græcis *Liban. Declam. 28: 33. 34. M. Sen. Controv. Q. I. 14. IV. 24. Excerpts. Controv. l. 4. IX. 1.* Mars quoque ob cædem stupratoris filiæ absolutus, & apud *Libanium, Apologiâ ejus*, legitur: Nec Romanæ leges cæde Adulteri Maritum prohibent. Sic & magnis laudibus celebratum fuit judicium C. Marii, quod absolvisset simulque Coronâ donasset Militem, qui Sororis suæ Filium, Tribunum Militum, de stupro se sollicitantem interfecerat, apud *Plut. Mario, Cic. & Quintil. Plato de LL. 9. qui mulierem liberam, aut puerum ad rem veneream vi subegerit, impune non ab eo solum, cui vis est illata, verum etiam à patre, fratribus filiisque vitâ privetur; & Paulus quoque Jctus dixit, pudorem tali facinore rectè defendi.* Hæc quantum ita sint, putem tamen, amorem Proximi, quem certè & Natura imperat, Lex autem divina vehementer urget, & vitæ inæstimabile pretium, quæ semel erepta restitui nequit, imaginariâ illâ pudicitia, cum internecone alterius & nimio odio, propugnatione potiora esse debere: Certè pudicitia in animo consistit, *nec amittitur corporis sanctitas, manente animi sanctitate, cum Augustino; Plaut. Amphitr. haud promeruit, quamobrem vitio verteres, Meâ vi subacta est facere; Seneca Hippolyto: Mens impudicam facere, non casus solet; Mentem peccare, non corpus, & unde consilium abfuerit, culpam abesse, in hâc ipsâ re apud Livium est lib. 1.*

*At non cum ejus, qui illam insulset, cæde, contendimus*

Quæ verò hîc suppetant legitima media parti læsæ, commemorabitur *infra*, ubi de reparatione damni dati agetur.

In Civitatibus cùm Legislatores rectè potuerint, vel capitalibus suppliciis reprimere volvgivagam Venerem & illicitos concubitus, singulis quoque honestis Fœminis potuerunt permittere, vel cum cæde tueri id, cujus jactura irreparabilis est.

§. XXVIII.

*Periculum  
infigenda  
alapæ jus  
dare ad cæ-  
dem, aut no-  
xam inimi-  
ci negatur.*

Si cui periculum immineat accipiendæ alapæ, aut mali similis, huic quoque jus esse id arcendi, vel cum cæde, aut noxâ inimici, & Rationi, & Amori Proximo debito, & Societatis Custodiæ, & Legi Moisaicæ, *Levit. XV. 18.* Sed maximè Evangelicæ repugnat, ut quod maximè: Jubet enim Christus, alapam accipi potius, quàm adversario noceatur: Quantò magis occidi eum vetat, alapæ effugiendæ causâ, aut jam acceptâ alapâ, si, qui eam impegit, fugiat, ad Honorem, ut ajunt, recuperandum: Haud dubiè mendosè. Nam Honor est Opinio de Excellentîâ; At qui talem fert injuriam, is patientem se excellenter ostendit, atque idèd Honorem auget magis, quàm minuit: Nec refert, si quidam corrupto judicio Virtutem hanc in probrum confictis nominibus traducant: Perversa enim illa judicia nec rem, nec rei æstimationem immutant. Nec Christiani veteres hoc tantùm vidêrunt; Sed & Philosophi, qui dixerant, pusilli esse animi, contumeliam ferre non posse, ut jam ostendimus §. 22.

*Ut & si quis  
fugâ salutem  
sibi parere  
possit.*

§. XXIX.

Nec ergò Defensio cum interfectione, aut gravi læsione, est licita, etiamsi quis fugere sine periculo

culo possit; quia fuga scilicet ignominiosa fit; in nobili præsertim Viro; Atqui nulla hîc ignominia est, sed falsa quædam ignominia opinio, aspernanda omnibus iis, qui Virtutem & Sapientiam sectantur. Quod de alapâ & fugâ diximus, dictum volumus & de aliis rebus, per quas vera existimatio non læditur.

§. XXX.

Quid si verò dicat aliquis de nobis, quod creditum apud bonos existimationem nostram delibaret? Certè nec hîc interfectio, noxa & damnum est modus aptus ad tuendam existimationem.

*Idem dicendum, si quis Existimationi nostræ turpem notam inurat.*

Quæ verò sint legitima media, quibus fama reparari possit, dicetur *infra*.

Et hæcenus restringendum vulgatum illud:

*Vita & fama pari passu ambulant, &*

*Omnia si perdas, famam servare memento, &c.*

Itemque cum ea vitæ æquiparatur, l. 4. *D. de Manumiss. vind.* & crudelis dicitur, qui illam negligat, nescio quâ l. jungi possunt, quæ Salomon de famâ prædicat, *Prov. c. 22: 1. Eccl. c. 7: 2.*

§. XXXI.

Jus est Homini Libertatem suam, quæ est naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi quid vi, aut jure prohibeatur, §. 1. *Inst. J. P. muniendi & conservandi.* Rectè enim Jura servitutum contrà Naturam, id est, contrà primævum Naturæ statum, quo omnes Homines liberi & æquales sunt, imò & animalia, §. 12. *I. R. D.* contrà etiam naturalem inclinationem, quâ omnes libertatis sumus avidi, esse statuunt: *Quintil. Declam. XIII. Quid autem non liberum Natura genuit? Taceo de Servis,*

*Jus Homini datur libertatem suam, quâ potest conservandi.*

vis, quos Bellorum iniquitas in prædam Victoriis dedit, iisdem legibus, eadem fortunâ, eadem necessitate natos; ex eodem cælo spiritum trabunt, nec natura illis, sed fortuna Dominum dedit: *Cæsar. III. Comm. omnes Homines naturâ Libertati studere & conditionem Servitutis odisse; & Comicus: Omnes profectò liberi lubentius sumus, quàm servimus; Ita quoque Esseni judicabant, servitutem contra leges Naturæ esse, Pbilopapud Euseb. VIII. περὸν. 4. Libertas res inestimabilis, l. 106. de R. J. & Constantinus Imperator testatur, tanti fecisse Majores libertatem, ut Patribus, quibus jus vitæ & necis in Liberos dedere, Potestatem Libertatem eis eripiendi ademerint, l. ult. C. d. P. P. Mors scilicet Civibus Romanis, verba sunt Ciceronis, semper fuit servitute potior. Certè Jus Civile multa in favorem Libertatis constituit: Idem tamen in pœnam rectè eos, qui eâ abutuntur, eadem privare potuit: *Expedit enim Reipublicæ, ne quis re suâ male utatur, §. 2. Inst. de His qui sui, vel alieni j. f.* Captivos quoque ex justo bello servili jugo subdere non est contra naturalem Rationem & æquitatem: Si enim non est contra Naturam, spoliare eum, quem honestum est necare, ex Sententiâ Ciceronis, quantò minus servare eum, quem jure Victoriæ internecioni dare poteram, eique, sub lege præstandorum servitorum, alimenta præbere; *Horatius:**

*Perdere cum possis captivum, occidere noli:*

*Serviet utiliter, sine pascat durus & aret, &c.*

*Dura illa  
servitus Ro-  
manorum  
moratur.*

Hinc servos à servando dictos vult l. 4. §. 2. *D. de Statu Hominum.* At jus vitæ & necis planè non competit Dominis, nec item alia jura, quæ LL. Romanæ, duræ sanè & iniquæ, tribuêrunt, veluti cùm

in

in censum quadrupedum detruduntur, l. 1. D. ad L. Aquil. pro mortuis, l. 205. D. de R. J. pro nullis, l. 32. D. eod. habentur; cum Domino acquirunt, quicquid acquirunt, & ipse pro lubitu, ceu de quavis aliâ re sui Domini, disponere de illis, vindicare eos, l. 32. D. de R. J. & alienare potest.

Plura de Servitutibus, vide *infra*.

§. XXXII.

Deus humano generi in universum jus contulit, tacitum, vel expressum, statim à mundo condito, atque iterum Mundo post Diluvium repurgato, Genes. 1. v. 29. 30. & c. ix. v. 1. in res hujus inferioris Naturæ, iis utendi, fruendi, etiam animalibus ad cibum, ad tolerandam & prorogandam, juxtâ atque commodè & jucundè tranfigendam Mortalitatem. Hoc jus, inquam, non Hominibus, non Genti; Sed Humanitati donatum: Iisdem facultatibus unusquisque instructus, eodem sanguine cretus, in eandem gignitur sortem, & suo quisque fine, iisdem necessitatibus premitur, & unicuique vitæ suæ custodia mandata & commendata est.

*Deus humano generi jus contulit in res creatas:*

§. XXXIII.

Hæc Dominiorum origo: Quod enim quis semel occupasset (qui naturalis nunc & originarius acquirendi Domini modus; olim verò, cum Genus Humanum coire posset, potuit & Divisio esse) quod, inquam, quis semel occupasset, adeoque Domini sui fecisset, sicut eo prohiberi, nisi injustè, non poterat; ita nec eripere id ei alter, nisi injustè, poterat: *Quintilianus Decl. 13. si hæc conditio est, ut quicquid in usum hominis cessit, proprium sit habentis, profectò quicquid jure possidetur, injuriâ aufertur.* Apa-

*Que Dominiorum Origo:*

E

ge

*Es furtum  
inde rerum  
alieni Do-  
minii probi-  
bitum patet;*

ge hinc ergò *Hobbesium* cum suo sibi jure omnium in omnia, foecundâ turbarum Matre. Hinc omne genus *furtum*, rerum scilicet alieni Domini, prohibitum & *Naturâ turpe esse* evincit l. 1. *D. de furtis*, l. *Probrum D. V. S. Dissplicere Deo Euripides*, his in *Helenâ* vertibus :

*Namque odit ipse vim Deus, nec divites  
Nos esse rapto; sed probe partis cupit:  
Spernenda, si non jure veniat, copia est.  
Communis Aether Hominibus, tellus quoque,  
In quâ ampliare cuique sic fas est domum,  
Ut ab alienis rebus ac vi temperet.*

*Add. Hesiod. é. η. η. Hoc, nî fallor, Aristoteles, etiam-  
si apud Persas & alios quosdam Populos licitum sit,  
non eò minus Naturæ lege & Rationis dictamine  
vetitum & proscriptum esse asserit; & si unus quis-  
que nostrum rapiat ad se commoda aliorum detrabatque,  
quod cuique possit, emolumentum sui gratiâ, Societas Ho-  
minum & Communitas evertatur necesse est: Nam sibi  
ut quisque malit quod ad usum vitæ pertinet, quam al-  
teri acquiri, concessum est, non repugnante Naturâ:  
Illud Natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras fa-  
cultates, copias, opes augeamus; Cicero.*

§. XXXIV.

*Revoisfit  
tamen pri-  
mæ Com-  
munio,*

*in gravissi-  
mâ necessi-  
tate;*

Remansit tamen, etiam post introducta Domi-  
nia, jus illud pristinum rebus utendi, tanquam si  
communes, id est, in medio positæ & quæ cede-  
rent occupanti, mansissent, in gravissimâ necessita-  
te: Quia in omnibus Legibus Humanis, ac proinde  
& in lege Domini, summa illa necessitas videtur  
excepta. Hinc illud, ut in navigatione si quando  
defecerint cibaria, quod quisque habet in commune  
conferri

conferri debeat, l. 2. §. cum in eadem D. ad L. Rhodiam. Sic & defendendi mei causâ Vicini ædificium orto incendio dissipare possum; Et funes, aut retia discindere, in quæ mea navis impulsâ est, si aliter explicari nequit, l. quo naufragium, §. quod ait D. de Incend. l. quemadmodum §. item D. ad Legem Aquil. l. si alius D. quod vi aut clam. Quæ omnia Lege Civili non introducta, sed exposita sunt. In tali necessitate si quis quod ad vitam suam necessarium est sumat aliunde, reddendum, ubi necessitas cessârit, eum furtum non committere communior & probabilior sententia est: *Necessitas*, inquit *Seneca*, *magnum humane imbecillitatis patrocinium, omnem legem* (humanam scilicet, aut ad humanæ modum factam) *frangit, quicquid cõegit, defendit, lib. IV. Controv. 27.* Idem exemplis illustrat in *Excerptis Controv. 4.* *Necessitas est, quæ navigia jactu exonerat; Necessitas est, quæ ruinis incendia opprimit; Necessitas est lex temporis, adde Puffendorff. lib. 1. cap. 5. De Officio Hominis & C.*

§. XXXV.

Alterum est utilitatis innoxie & inexhausti cun- In rebus de- inde inno- xia utilita- tii & inex- hausti Usus.  
ctisque patentis usûs: *Quidni enim, inquit Cicero, De Offic. 1. quando sine detrimento suo potest, alteri communicet in iis, quæ sunt accipienti utilia, danti non molesta, quæ sunt generis ejusdem, quod ab Ennio positum in unâ re transferri per multa potest:*

*Ut Homo, qui erranti comiter monstrat viam,*

*Quasi lumen de suo lumine accendat, facit,*

*Ut nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit:*

*Unâ enim ex re satis percipitur, ut quicquid sine detrimento possit commodari, tribuatur cuique, vel ignoto; ex quo sunt illa communia: non prohibere aquâ profluen-*



te; pati, ab igne ignem capere, si quis velit; consilium fidele deliberanti dare, & quæ alia sunt officia Humanitatis. Ideò Seneca, IV. de Benef. Beneficium negat dici posse ignis accendendi potestatem. Apud Plutarchum legimus *Symposiacion VII.* Nam neque alimenta nobis fas est perdere, ubi ipsi plus satis habemus; neque fontem, postquam inde quantum libet potaverimus, obturare, aut occultare; neque signa navigationis, aut itineris abolere, quæ nobis usui fuerint. Sic flumen, quæ flumen, proprium est Populi, cujus intra fines fluit; atque ei licet molem in flumen injicere; quæ in flumine nascuntur, ejus sunt; at idem flumen, quæ aqua profluens vocatur, commune mansit, nimirum ut bibi hauririq̃ue possit, l. *Quæd. D. de R. D.*

*Quis vetet apposito lumen de lumine sumi,*

— *Atque cavum vastas in mare servet aquas?*  
inquit Ovidius, apud quem & Lycios Latona sic alloquitur:

*Quid prohibetis aquas? usus communis aquarum est;  
Nec Solem proprium Natura, nec aëra fecit,  
Nec tenues undas; ad publica munera veni:*

Ejus generis res naturali jure omnium communes & publicas juris Gentium vocant Leges, R.D. ubi & earundem exempla recensent; plura habet Grotius cap. 2. lib. 2. add. l. *vendit, Comm. Præd. L. Litore D. ne quid in loco publ. l. quod in littore D. A. D.*

§. XXXVI.

Ad res conservandas raptorem, si ita opus sit, justè vel interfici, aut graviter lædi posse abnuo. Nulla inter rem, cujus facilis jactura, & quæ amissa facile recuperari potest, per Judicis etiam aditionem,

*Raptorem ad res nostras conservandas justè graviter lædi, aut & interfici posse abnuo:*

nem, & vitam Hominis æqualitas, & obstat etiam Charitas per modum præcepti : Nisi fortè talis aliqua res sit, ex quâ vita nostra & Familiæ nostræ pendeat, quæque judicio recuperari nequeat, fortè quia fur sit ignotus, & fugam moliatur, & spes sit aliqua, sine cæde rem abituram, aut noctu furtum commissum fuerit, *Exod. XX.* cum quâ Judæorum Lege congruit & Lex Solonis vetus, quam *Demosthenes adversus Timocratem* commemorat, & inde sumpta *Lex XII. Tabb.* & *Platonis scitum IX. de LL.* videlicet noctu discerni nequit is qui venit, fur sit, an Sicarius, & idè tanquam Sicarius interfici potest: præsumptio est igitur adversus furem nocturnum, defendisse se telo, dum rem meam cupio retinere, aut occupatam extorquere, aut furem capere, cumque adeò ipse in periculum vitæ adducar, mihi utique licet à me avertere periculum, etiam cum periculo vitæ alienæ, ut jam diximus; accedit, quòd quæ nocte accidunt, minus explorari, & qualia quantaque sint, cognosci possunt: eoque sunt terribiliora, quodque noctu vix sit copia testium adhibendorum & auxilii implorandi. Rectè *Paulus Jctus l. non est R. J. non est singulis concedendum, quod per Magistratum publicè possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi. Hinc est, inquit Rex Theodoricus, Cassiod. lib. 4. Var. Epist. 4. quòd legum reperta est sacra reverentia, ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulsu: Quid enim à bellicâ confusione pax tranquilla distat, si per vim litigia terminantur? & vim vocant Leges, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per Judicem reposcit, & multis in locis jus crediti amittit, qui id fecerit. L. Generali C. de Decur. l. si quis Curialis, C. de Ep. & Cler. DD. in l.*

*Quod tamen  
restringitur.*

*Quintus Mutius in fin. D. ad l. Aq.* Imò etiã si lex Civilis hoc non directè prohiberet, ex ipsã tamen judiciorum institutione sequeretur, hoc esse illicitum: Sanè multò honestius & ad quietem Hominum conducibilius, ab eo, cujus nihil interfit, rem cognosci, quàm Homines singulos, nimium sæpe amantes sui, & nimio adversarii odio præpeditos, quod jus putant, id manu exsequi: Quod tamen licere putat *Grotius*, ubi judicia continuè cessant; Quòd si deinde jus quidem certum sit; sed simul moraliter certum, per judicem juris explementum obtineri non posse, puta, quia deficiat probatio: Pertinet huc *l. 13. D. quod met. caus. l. 7. 8. D. ad L. Jul. de vi privat. l. 50. D. de A. R. D.* & Lex Evangelica, *Matth. V.* Nam si tunicam & pallium deserere jubet Christus, & *Paulus* damnum aliquod injustum tolerari potius, quam litigari, quæ incruenta contentio est, quantò magis vult, res etiam momenti majoris deserere potius, quàm interfici à nobis Hominem, Dei Effigiem, eodem nobiscum sanguine ortum: Quare si res servari possit, ut non videatur periculum esse faciendæ cædis, aut gravis læsionis, rectè id quidem; sin aliter, omittenda res est. At à Magistratu, vel capite, furtum puniri, publica pax efflagitat: Draco furtum supplicio capitis, quæcunque etiam, punivit, *Gell. XI. 18. Justin. II. de Scythis: nullum scelus apud eos furto gravius: quippe sine tecti munimento pecora & armenta habentibus quid inter sylvas superesset, si furari liceret? vide & Arist. sect. 29. probl. 14. & 16.*

*Bene quoque à Magistratu, vel capitali pœnâ, furtum plethi potest.*

*Quid juris circa capturam Feras, disquiritur.*

§. XXXVII.

Feras, simul atque naturalem libertatem recipiunt, nostras esse desinere, & fieri occupantis, a-  
 junt

junt Romani Jcti, l. quod enim D. de Acq. Dom. §. 1. Rectè: etfi enim in rebus omnibus aliis à possessione quod incipit Dominium, non ideò amissâ possessione amittitur; imò jus dat etiam ad repetendam possessionem, l. Pomponius D. de Acq. Poss. res autem nostras alius à nobis auferat, an ipsæ sese, ut Servus fugitivus, non multum refert: Non tamen hîc amittitur Dominium per se; eò quòd feræ custodiam evaserint; sed ex probabili conjecturâ, quòd ob difficillimam persecutionem eas pro derelictis habere credamur, præsertim cùm internosci quæ nostræ fuerint ab aliis non possint; Sed hæc conjectura per alias conjecturas elidi potest, ut si addita sunt feræ *ναπίσματα*, sive Crepundia, unde agnoscatur & Domino reddatur, l. naturalem D. de Acq. R. D.

Requiritur autem corporalis quædam possessio ad Dominium adipiscendum, atque ideò vulnerâsse non sufficit, ut rectè contra Trebatium placuit; hinc proverbium: *Aliis leporem excitâsti*, & Ovidio *Metamorph. V.* aliud est scire ubi sit, aliud reperire. Sed possessio illa potest acquiri non solis manibus; sed instrumentis, ut decipulis, retibus, laqueis, dum primò ipsa instrumenta sint in nostrâ potestate; deinde fera ita inclusa sit, ut exire inde nequeat, ad quem modum definienda est quæstio, cum Grotio, de Apro, qui in laqueum inciderit, l. in laqueum. 55. §. 38. de A. R. D.

§. XXXVIII.

Quo modo feræ, eodem acquiruntur & alia *ἀδελφώματα*, quæ vide Tit. de R. D. & de A. R. D. Si quis enim rem Domini sui derelinquat & abjiciat, manife-

*Ad Dominium adipiscendum requiritur corporalis possessio.*

*Quod jurd circa Feræ, idem & circa alias res heri carentes.*

manifestis indicis declarato derelinquendi animo, aut si defecerit Dominus, aut saltem investigari non possit, recidet ea res in primævum Naturæ statum, & cedit inveniendi & occupanti. Sic Acanthos Insula deserta adjudicata est Chalcidensibus, qui priores intraverant, non Andriis, qui priores Jaculum immiserant, *Plus. Quest. Gr. 29.* quia possessionis initium est corporis ad corpus adjunctio, qualis circa res mobiles maximè fit manibus, circa res soli pedibus. Scire ubi res est, non est reperire, uti habuimus ex *Ovidio*.

§. XXXIX.

*Usucapiones  
& Præscri-  
ptiones opti-  
mo jure fun-  
dantur, & ra-  
tionibus non  
contemnen-  
dis fuitas  
esse pertinen-  
ditur.*

Ex præsumto verò & tacito longi temporis consensu amissam rem abdicantis rectè Legislatores, suadentibus optimis & æquissimis rationibus & ad quietem publicam valde facientibus, *Usucapiones* & *Præscriptiones* admittere consultum duxère. Qui etenim rem suam ab alio teneri scit, nec quicquam contradicit, cùm tamen non prohibeatur, multo tempore, is non videtur id alio fecisse animo, quàm quòd rem illam in suarum rerum numero esse nollet. Et hoc est, quod alicubi dixit *Ulpianus*, *ades longo silentio videri pro derelicto habitas à Domino: parum justè* (rescribit Pius Imperator) *præteritas usuras petis, quas omisisse te longi temporis intervallum indicat; quia eas à debitore tuo, ut gratior apud eum videlicet esses, petendas non putasti, l. Pomponius D. de Acq. R. D. l. si finita, §. non autem statim D. de Damno inf. l. cum quidam §. Divus D. de usuris.* Fieri quoque vix potest, ut multo tempore res ad aliquem pertinens non aliquâ viâ ad ejus notitiam perveniat. Sic & incussus semel metus durare quidem non nihil creditur;

ditur; sed non perpetuò, cum tempus longum multas occasiones adversus metum sibi consulendi, per se, vel per alios suppeditet, saltem ut protestatio de jure fiat, aut ad Judices & Arbitros provocetur. Tum verò Dominia tandem aliquando in certo & extra controversiæ aleam constitui, Humanæ Societatis interest, *l. 1. D. de Usucap. & l. t. Præscript. & Dominorum* etiam negligentia meritò castigatur.

Temporis tamen spatium à Legibus definiendum: inter præsentis certè minus temporis spatium ad hanc conjecturam sufficit, quàm inter absentes.

Jura verò, quæ non habent quotidianum exercitium; sed semel, ubi commodum erit, ut luitio pignoris; item jura Libertatis, quibus actus is, qui exercetur, non est directè contrarius; sed ei inest, ut pars suo integro; velut si quis per centum annos Societatem cum uno duntaxat vicino habuerit, cum tamen habere & cum aliis posset, non amittuntur, nisi ex quo tempore intercessit prohibitio, aut coactio, eique paritum est, cum sufficienti consensûs significatione.

§. XL.

Hæc verò, quæ diximus de feris & aliis rebus Hero carentibus, locum habebunt, si lex nulla civilis intervenerit: sunt enim hæc naturalia non simpliciter, sed pro certo rerum statu, id est, si aliter cautum non sit. Germaniæ certè Populi, cum Principibus ac Regibus bona quædam essent assignanda, unde dignitatem suam sustinerent, sapienter existimârunt, ab illis rebus incipiendum, quæ sine damno cujusquam tribui possint, cujusmodi sunt res omnes, quæ in Dominium nullius pervenêrunt. Quo jure

*Que dicta de Feris & aliis rebus ad 2070109 valebunt sepositâ lege civili.*

F ufos

nos & Ægyptios *Strabo* 17. memorat; & Thesauri quidem, id est, pecuniæ, quarum Dominus ignoratur, naturaliter fiunt inventoris, qui eos loco moverit apprehenderitque; sed tamen *Plato* Magistratibus indicium fieri vult & Oraculum consuli, & *Apollonius* apud *Philostr. lib. 2: 15.* Thesaurum, quasi Dei beneficium, ei adjudicabat, qui ipsi optimus videbatur: Apud Hebræos receptum, ut Domino agri Thesaurus cederet, videtur colligi posse ex Christi parabolâ, quæ extat *Matth. XIII. v. 20.* Romanorum leges valde hâc in parte variârunt, quod partim Constitutiones ostendunt, partim Historiæ, *Lampr. Zon. Cedr.*

§. XLI.

*Leges quædam civiles, ut injuste notantur.*

Id tantum hîc obiter notamus, Leges quasdam Civiles esse planè injustas, ut quæ bona naufragorum fisco addicunt, *Auth. navigia C. de furtis.* Nullâ enim causâ præcedente probabili Dominium alicui suum auferre mera injuria est, add. §. 48. *Inst. R. D. Bene Euripid. Helenâ:*

*Ναυαγός ἥκω, ξένος, ἀσύλητον γένος:*

*Sum Naufragus, spoliare quod genus est nefas:*

*Quod enim jus habet Fiscus (verba sunt Constantini) in alienâ calamitate, ut in re tam luctuosâ compendium secletur, l. 1. C. de Naufragiis; Afflicto non est adenda afflictio, ut est in Jure Canonico.*

§. XLII.

*Recensentur alii modi acquirendi Domini jure Romano.*

Tradunt Romani Jcti & alios acquirendi Domini modos, ut quæ ex Hostibus capimus, §. 17. *Inst. d. R. D. de quo vid. Grot. lib. 3. c. 6. & 13.* Præterea quod per alluvionem agro flumen paulatim, aut vi quâdam, adjecerit, §. 20. & 21. *eod.* si quæ Insula

Insula in flumine nata, §. 22. *ead.* si alveus fluminis derelictus, §. 23. &c. quos perperam nomine juris naturalis, aut Gentium ( Nam promiscuus horum vocabulorum usus ipsis est) venditant; vide in hanc rem *Grotium* §. 8. & *seqq. cap. 8. de Acq. quæ vulgò d. J. G. lib. 2.*

*Negando, illos jure naturalis non.*

§. XLIII.

Est & illis acquirendi modus inter eos, qui Juris Gentium, quod & Naturæ, vocantur, per genturam animantium, ut partus ventrem sequatur, quod tamen non est naturale, nisi quatenus plerumque Pater ignoratur; At si probabili ratione de eo constaret, cur non partus ex parte ad eum pertineat, nihil potest afferri: Nam & Patris partem esse quod nascitur certum est; plusne verò de patre, an de matre habeat, inter Phyllicos disceptatur: *Plut.* eâ de re sic disserit: *Natura sexuum corpora miscet, ut ita de utraq; parte sumpta confundat & commune utrisque reddat, quod nascitur, ita ut neuter possit quid suum sit, quid alienum, discernere, vide appositum ad hanc rem locum Galeni II. de semine.*

§. XLIV.

Si ex alienâ materiâ speciem quis fecisset, *Sabiniani* Dominium ejus esse volebant, qui materiâ fuisset Dominus; *Proculus* ejus, qui speciem fecisset, quia per eum esse cœpisset, quod ante non existeret: *Arrepta* tandem media sententia est, ut si reverti ad priorem speciem materiâ posset, materiâ Dominus rem haberet; si non posset, tum is haberet, qui speciei esset auctor. At si naturalem veritatem respicimus, sicut confusis materiis communionem induci, pro ratâ ejus, quod quisque ha-



beat, Romanis quoque Jctis placuit, quia res alium exitum naturaliter reperire non poterat; ita cum res constent materiâ & specie, tanquam suis partibus, si alterius sit materia, alterius species, sequitur naturaliter rem communem fieri, pro ratâ ejus, quanti unum quodque est. *l. Julianus §. sed si quis D. Ad exhib. l. De eo exhibendo §. si quis D. Ad exhib.*

§. XLV.

Ut autem qui malâ fide materiam alienam attrahant, speciem perdant, est quidem non iniquè constitutum; sed pœnale, atque idè non naturale. Natura enim pœnas non determinat, nec ob delictum per se dominia aufert, quanquam naturaliter pœnâ aliquâ digni sunt, qui delinquant.

§. XLVI.

Ut verò rei majori acquiratur res minor, naturale est facti, non juris, atque idè qui fundi pro vicesimâ parte est Dominus, tam manet Dominus, quam qui partes habet novendecim. Quare quòd de accessione ob prævalentiam, aut certis in casibus lex Romana constituit, id naturale non est; sed civile, ad commodius transigenda negotia; Natura tamen non repugnante, quia Lex dandi Domini jus habet, vid. *l. idem §. 1. D. de rei vind. l. si rem §. idem D. eod. Inst. de R. D. §. litteræ & §. si quis.*

§. XLVII.

Plantata & confita ut solo cedant, similiter est juris constituti, cujus ratio est, quòd ista solo alantur. Atqui alimentum rei jam ante existentis partem duntaxat facit: atque adè sicut ex alimento jus quoddam in rem soli Domino nascitur; ita Domino seminis, plantæ, aut arboris jus suum naturaliter

liter certè ob id non perit: quare & hîc communio locum habebit: Nec minus in ædificio, cujus partes sunt solum & superficies: nam si mobile sit, nullum in eo jus habebit soli Dominus, quod & *Scævola* placuit.

§. XLVIII.

*Bonæ fidei possessor*, ut fructus omnes ex re suos faciat, quos percepit, naturale itidem non est; sed hoc tantum, ut jus habeat impendia in rem facta & operam utilem imputandi, ac pro iis deducendi fructus perceptos; imò & exstantes, si aliter non fiat ei restitutio, retinendi: vid. *L. Titius D. de Acquir. rer. dom. L. sed & si §. Consuluit D. de Petit. hered.*

§. XLIX.

Atque idem dicendum videtur de malæ fidei possessore, ubi lex pœnalis non intercedit. *Benignius est*, ait *Paulus J Ctus*, *etiam in prædonis personâ haberi rationem impensarum; non enim debet petitor ex alienâ jacturâ lucrum facere.*

§. L.

Ultimus acquirendi modus, qui juris gentium dicitur, est per *traditionem*. Atqui ad Domini translationem naturaliter traditio, ceu actus merè physicus, non requiritur; quod & ipsi J Cti in quibusdam calibus agnoscunt, ut in re donatâ, *l. Quinq. C. de Don. usufructu retento, L. Si Servus D. de Acq. re. dom.* aut in eum collatâ, qui possideat, *Inst. de R. D. §. Interdum.* aut commodatam fervet; in jactis misfilibus: imò etiam ante adeptam possessionem nonnullis calibus nunc quoque transit dominium, ut hereditatis, *L. Cum hered. D. de Acq. poss. legatorum, L. à Titio. D. de furtis. rei donatæ Ecclesiis & piis locis,*

cis, aut Civitatibus, *L. ut inter C. de SS. Eccl. aut causâ alimentorum, L. Si doceas. C. de Don. quæ sub modo. bonorum, quorum universalis Societas contracta est, L. 1. §. 1. & l. 2. D. pro Socio. Hæc Grotius!*

§. LI.

*Fit etiam  
aliquid no-  
strum exple-  
tione juris.*

Fit etiam aliquid nostrum expletione juris. Expletione juris fit alienatio, quoties id, quod meum nondum est, sed mihi dari debet, aut loco rei meæ, aut mihi debitæ, cum eam ipsam consequi non possum, aliud tantundem valens accipio ab eo, qui rem meam detinet, vel mihi debet. Nam justitia expletrix quoties ad idem non potest pertingere, fertur ad tantundem, quod est morali æstimatione idem. Dominium autem hoc modo transferri, probatur à fine, quæ in moralibus optima est probatio: Neque enim juris mei explementum consequi poterò, nisi Dominus fiam; frustra enim erit rei detentio, si eâ uti pro arbitrio non possum. Antiquum hujus rei exemplum est in Historiâ *Diodori, lib. iv.* ubi Hestioneus pro his, quæ filiæ suæ ab Ixione promissâ non præstabantur, equos ipsius accepit; huc faciunt *l. Si ex stipulatione D. de acq. poss. l. 2. Hac actione, De vi bon. rapt. l. Extat. D. quod metus. l. Creditor. l. fin. D. ad L. Jul. de vi priv.*

§. LII.

*Dominium  
aut totum,  
aut ex par-  
te trans-  
ferri potest;*

Homines rerum Domini, ut Dominium, aut totum, aut ex parte transferre possint, juris est naturalis, post introductum Dominium: Inest enim hoc in ipsâ Domini, pleni scilicet, naturâ. Itaque *Aristoteles 1. Rhet. V. Proprietatis definitio est, ubi penes nos est jus alienandi.*

§. LIII.

§. LIIL

Transeunt ergò res vel gratis , vel interposito Transit ve-  
rò vel gratis,  
vel interpo-  
sito contra-  
ctu.  
contractu. Prioris generis translationes vocantur  
donationes , inter vivos , vel mortis causâ : cujus  
posterioris en tibi speciem ex Homero *Odyss.* 17. quæ  
exstat etiam *Inst. lib. 2. Tit. 7. De Donationibus :*

Πέραι, ἔ γάρ τ' ἴδμεν, ὅπως ἔσαι τὰ δ' ἔργα,  
Εἶπεν ἐμὲ μνηστῆρες ἀγήνορες ἐν μεγάροισι  
Λάτρη κτείναιτες πατρώια πάντα δασυνοίαι;  
Αὐτὸν ἔχοντά σε βάλομ' ἐπαυρέμεν, ἢ τινα  
τῶνδε.

Εἰ δέ κ' ἐγὼ τέτοισι Φόνον κ' κῆρα Φυλεύσω,  
Δὴ τότε μοι χαίροντι Φέρειν πρὸς δῶματα χαί-  
ρων.

*Cum, Piræe, homines lateant secreta futuri,  
Si me forte proci sceleratis ad styga mittant  
Insidiis, Patriasque velint exciscere prædas:  
Hæc ego præ reliquis multo tibi cedere malim;  
Sin ego eos justis prosternam cladibus ultor,  
Hæc mihi tu gaudens media inter gaudia reddas.*

§. LIV.

Porrò transferuntur per Promissâ atque Con- Non distin-  
guuntur Nature  
inter Pacta  
& Contra-  
ctus.  
tractus. Nec hîc distinguit Natura inter Pacta nuda  
& Contractus. Voluntas enim cujusque hoc omni  
modo agentis , ut se obliget , obligationem Pactis  
utique addere potest, etsi nulla illa lex civilis vi ob-  
ligandi munierit , ut Pacta Stipulata & alia quæ-  
dam ; Sed tamen impedimentum nullum afferat :  
Quidni enim voluntate sufficienter significatâ sicut  
transferri rei Dominium potest ; ita transferri & jus  
in Personam possit , aut ad transferendum Domi-  
nium,

nium, aut ad aliquid agendum; quippe cum in actiones nostras par jus habeamus, atque in res nostras. Et quomodo dicitur à Jctis, *nihil esse tam naturale, quam voluntatem Domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi, §. Per traditionem Inst. de rer. divis.* eodem modo dicitur, *nihil esse tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare, l. 1. D. de Pactis.* Sic Edictum de pecuniâ constitutâ, ubi nulla in constituyente debendi causâ præcesserat præter consensum, favere dicitur naturali æquitati, l. 1. D. de Pecun. const. Paulus quoque Jctus eum ait *naturâ debere, quem jure Gentium dare oportet, cujus fidem secuti sumus, L. cum amplius. D. de Reg. juris.* Marcus autem Tullius in Officiis tantam promissis vim tribuit, ut fundamentum Justitiæ fidem appellet, quam & justitiæ sororem dixit Horatius, ac Simonides justitiam definiebat, non modò acceptum reddere; sed & verum dicere.

§. LV.

*Ad Domini-  
um transfe-  
rendum re-  
quiritur ac-  
tus exter-  
nus, signo de-  
claratus:*

Non sufficit verò actus internus voluntatis ad transferenda rerum dominia & alia jura; sed simul requiruntur aut verba, aut alia signa externa: Actus enim internus non est congruens naturæ Societatis humanæ; Ut verò traditio requiratur, ex lege esse civili, supra meminimus; sic alicubi usurpata professio apud populum, aut Magistratum, & in acta relatio.

§. LVI.

*Etiã in il-  
lo, cui res  
datur, aut  
promittitur.*

Vicissim in eo, cui res datur, aut promittitur, requiritur naturaliter voluntas accipiendi, cum suo signo, quæ voluntas ordinariè sequitur dationem; sed potest & præcedere, puta, si quis quid dari, aut con-

concedi sibi petierit : censetur enim durare voluntas, nisi ejus mutatio appareat.

§. LVII.

Actus autem voluntatis, quæ signo exprimitur, intelligi debet voluntatis rationalis. Ideò & furiosi, & amentis, & infantis, & summè ebrii, nulla est promissio. Aliud censendum de Minoribus: hi enim etsi non satis firmum judicium habere credantur, ut & foeminae, id tamen nec perpetuum est, nec per se sufficit ad actus vim elidendam. Quando autem puer ratione uti incipiat, non potest certò definiri, sed ex quotidianis actibus, aut etiam ex eo, quod communiter in quâque regione accidit, desumendum est. Itaque apud Hebræos valebat promissio, quam fecisset Adolefcens, qui annum impleffet decimum tertium, puella, quæ duodecimum. Alibi leges civiles, justâ ratione motæ, quasdam promissiones pupillorum ac minorum irritas pronunciant, non apud Romanos tantum, sed & apud Græcos, *Chrysoft. Oratione 75.* adversus quasdam restitutionis beneficium introducunt.

*Actus autem voluntatis, signo exprimens, intelligi debet voluntatis rationalis.*

§. LVIII.

Si promissio fundata sit in præsumptione quâdam facti, quod non ita se habeat, naturaliter nullam ejus esse vim, ex vero statuitur: quia omninò promissor non consentit in promissum, nisi sub quâdam conditione, quæ reipsâ non extitit: quò referenda est illa quæstio apud *Ciceronem, de Oratore primo*, de eo, qui filium suum mortuum falsò credens alium instituerat heredem. Si verò adfuerit quidem error, sed in quo fundata non fuerit promissio, ratus erit actus, utpote non deficiente vero consensu.

*Quatenus Promissio, errore interveniente, valeat, disquiratur.*

G

fu.

fu. Si pro parte fundata erit errore promissio, valebit pro reliquâ parte.

§. LIX.

*Qui metu  
promisit a-  
liquid, cum  
jure natu-  
re obligari  
statuitur.*

Qui metu promittit aliquid, sepositâ lege civili, quæ obligationem potest tollere, aut minuere, utique obligatur : quia consensus hîc adfuit, nec conditionatus, ut in errante modò dicebamus : sed absolutus : Nam ut rectè ab *Aristotele* traditum est, *Et. Nic. III.* qui naufragii metu res suas jactat, vellet res servare sub conditione, si naufragium non immineret ; At absolutè vult res perdere, spectatâ scilicet temporis ac loci circumstantiâ.

§. LX.

*Materia  
promissi esse  
debet in vo-  
luntate potesta-  
te.*

Materiam promissi quod attinet, eam oportet esse, aut esse posse in jure promittentis, ut promissum sit efficax. Non ergò valent promissâ facti per se illiciti quia ad illa nemo jus habet, nec potest habere. At promissio vim accipit ex jure promittentis, nec ultra extenditur, *l. Item si cum exceptione §. in hâc actione D. quod met. causâ.* Agelilaus de promissio interpellatus, respondit : *Bene si justum est, sin minus, dixi tantum, non & promissi.*

Quòd si res nunc non sit in potestate promittentis; sed esse aliquando possit, erit in pendentem efficaciam : Quia tum promissio facta cenferi debet sub conditione, si res in potestatem venerit. Quòd si conditio, quâ res in potestatem promissoris venire possit, ipsa quoque sit potestativa, tenebitur promissor facere, quicquid moraliter æquum est, ut ea impleatur.

Sed in hoc quoque genere lex civilis utilitatis causâ multa solet irrita reddere, quæ naturaliter obligarent;

ligarent; Ut promissum futuri matrimonii factum ab eo, eave, qui conjugium nunc habeat, & non pauca, quæ à minoribus, aut filiis familiarum fiunt.

§. LXI.

Promissio facta ob causam naturaliter vitiosam, ut si quid promittatur homicidii perpetrandi causâ, ipsâ nihilominus naturâ valet: Non enim quicquid vitiosè fit, effectu juris caret. In promissis ob causam vitiosam manet vitium, quamdiu non perpetratum est crimen: Tandiu enim impletio ipsa promissi, ut mali illex, labem in se habet; quæ cessare incipit, peracto crimine, unde sequitur usque ad id tempus promissionis talis efficaciam esse in pendentibus, ut modò dicebamus in promissâ re, quæ juris nostri non est; Crimine verò perpetrato jam obligationis vim exseri, quæ ab initio non intrinsicè defuit; sed ab accedente vitio fuit impedita. Hujus rei exemplum affert *Grotius* in *Juda*, *Jacobi* filio, qui *Thamari*, quam meretricem putabat, promissam mercedem, tanquam debitam, solvit, *Geneos XXXVIII.*

*Promissio facta ob causam naturaliter vitiosam, ipsâ nihilominus naturâ valet.*

§. LXII.

Quod verò promittitur ob causam ante debitam, non eò minus debetur, si jus naturale spectemus: Nam & sine ullâ causâ promissum naturaliter deberetur.

*Quod promittitur ob causam ante debitam, & illud debetur.*

§. LXIII.

Sed & per *Hominem* alterum obligamur, si constet de voluntate nostrâ, quâ illum elegerimus, ut instrumentum nostrum ad hoc speciatim, aut sub generali notione. Et in generali præpositione accidere potest, ut nos obliget qui præpositus est, agen-

*Possunt verò & per Hominem alterum obligari.*



do contra voluntatem nostram sibi soli significatam: quia hi distincti sunt actus volendi, unus, quo nos obligamus ratum habituros, quicquid ille in tali negotiorum genere fecerit; alter, quo illum nobis obligamus, ut non agat nisi ex præscripto, sibi, non aliis cognito. add. heic *Grot.* qui hinc etiam deducit, Exercitoriam & Institoriam, quæ non tam actiones sunt, quam qualitates actionum, ipso naturali jure niti, &c.

§. LXIV.

*Promissio etiam eo modo fieri potest, ut valeat, si acceptetur, vel si acceptatum intellexero. Ante acceptationem ergo promissum revocari poterit.*

Potest etiam Promissio fieri utroque modo: aut hoc modo, volo ut valeat, si acceptetur; aut hoc modo, volo ut valeat, si acceptatum intellexero.

§. LXV.

Poterit ergo revocari promissum ante acceptationem sine injusitiâ, quippe jure nondum translato, imò & sine inconstantia, si revera eo animo factum sit, ut ab acceptatione demum valere incipiat. Revocari etiam potest mortuo ante acceptationem eo, cui promissum erat, quia videtur acceptatio in arbitrium ipsius collata, non heredum. Aliud est enim, velle dari huic jus ad Hæredes transiturum, aliud, velle dare heredibus: *Multum enim refert, in quem beneficium conferatur, huc pertinent l. Multum refert. C. si quis alteri, vel sibi l. si Pater D. de manumiss. vind. l. Neratius D. de Reg. Juris.*

§. LXVI.

*Et item mortuo eo, in cuius verba posita fuerat obligatio.*

Poterit etiam revocari mortuo eo, qui lectus erat voluntatis internuncius; quia in illius verbis posita fuerat obligatio. Aliud in tabellario, qui non est instrumentum obligationis; sed perlator instrumenti



missio, eam ratam habuerit, aut irritam : Sic tamen, ut medio illo tempore is qui acceptavit, remittere promissum non possit ; Quia hîc non adhibitus est ad jus aliquod accipiendum , sed ad adstringendam promissoris fidem in sustentando beneficio : Ita ut promissor ipse si revocet , faciat contrâ fidem , non contrâ jus proprium alicujus.

§. LXVIII.

*Onus Promissioni adjici potest, quamdiu Acceptatio non interveniat.*

Onus promissioni adjici potest, quamdiu promissio completa nondum est per acceptationem , nec fide interpositâ facta irrevocabilis. Onus autem in commodum tertii adjectum promissioni revocari poterit, quamdiu à tertio acceptatum non erit, *l. Perfecta, C. de donat. quæ sub modo.*

§. LXIX.

*Quomodo promissio ab initio invalida convalescere possit, ostenditur.*

Ut convalescere possit promissio , cui error causam dedit, si re cognitâ promissor stare velit promisso , item promissiones , quibus lex civilis impedimentum injicit ex metu, aut causâ aliâ, si ista causa postea cessaverit, requirit *Grotius* actum externum, & eum verbis factum, cum promissæ rei retentio, ex parte ejus, cui promissâ est, & relictio ejus, ex parte promittentis, aut simile quid, sufficere possint ad significandum consensum.

§. LXX.

*Contractus sunt vel beneficii, vel onerosi :*

Contractus dividi possunt in beneficos & onerosos. Illi alteri contrahentium parti gratis commodum aliquod afferunt ; uti est mandatum, commodatum, depositum. Hi utramque partem ad æquale onus adstringunt ; quippe in quibus eo fine præstatur, aut datur aliquid, ut tantundem recipiatur.

§. LXXI.

§. LXXI.

Inter Contractus onerosos antiquissimus haud dubiè, & quo solo ante inventum nummum commercia expediebantur, est permutatio, quâ utrinque res pro re æquivalente datur, exemplum sistit *Homerus* Glauci atque Diomedis, qui invicem arma permutârunt;

*Contracturum onerosorum antiquissimus est Permutatio.*

— — Χρύσεια χαλκείων, ἐκαστοί μοι ἑννεαβοίω.  
add. *Iliad. VII. in fin.*

§. LXXII.

Sed invento jam pretio, quo omnes res æstimarentur, accessit Emtio Venditio, quâ pro pecuniâ rei alicujus Dominium, aut eidem æquipollens jus acquiritur. Ejus simplicissimum genus est, si, ubi in pretium fuit consensus, emtor statim pretium, venditor mercem offerat tradatque. Frequenter tamen ita convenitur, ut merx quidem statim tradatur, pretium autem post certum intervallum sit solvendum. Aliquando super pretio quidem convenitur; sed ut traditio rei, seu mercis, ad certum terminum debeat fieri, atque interim res erit commo- & periculo venditoris; sed si post terminum eum elapsus emtor in mora fuerit, quò minus eam sibi tradi curârit, emtori deinceps res peribit. Si res bis sit vendita, ex duabus venditionibus ea valebit, quæ in se continuit præsentem dominii translationem, sive per traditionem, sive aliter. Per hanc enim facultas moralis in rem abiit à venditore, quod non fit per solam promissionem. Solent & emtionis venditionis Contractui varia pacta adjici; uti est additio in diem, quâ res ita venditur, ut liceat venditori meliorem conditionem, ab altero intra certum tempus

*Cui successit Emtio Venditio.*

tempus oblatam, acceptare. Item lex commissoria, quando ita convenit, ut si ad certum diem pretium non solvatur, res sit inempta. Item retractus, seu pactum de retrovendendo, quod vel ita concipitur, ut si pretium intra certum tempus, aut quando-cunque offeratur, emtor rem teneatur venditori restituere; vel ut si res offeratur, venditor pretium teneatur restituere; vel ut si emtor ultrò sit iterum venditurus, prior venditor ad emendum præ cæteris admittatur: quod etiam dicitur jus ἀρχιμήσεως. Sic & frequens est, ut ex prædiis venditis aliquam sibi particulam, aut certum ejus usum recipiat venditor. Est quoque emtionis genus, quod vocant per aversionem, quando multæ res disparis pretii non sigillatim æstimatæ, sed conjunctim & velut confuse taxatæ emuntur. In eo modo venditionis, quæ vocatur Auctio, res demùm illi additur, qui ex plurimis licitantibus plurimum obtulerit. Est denique & genus emtionis, quo non certa res, sed probabilis tantùm spes emitur, cui aleæ quid est admixtum; sic ut neque emtor, si spes fefellerit, neque venditor, si ea multum suprâ fuerit, queri debeat. Monopolia non omnia cum jure naturæ pugnant: nam possunt interdum à summâ potestate permitti justâ de causâ & pretio constituto: Cujus rei exemplum nobis illustre præbet Josephi Historia, cùm is vice regiâ Ægypto præesset. Potest & à privatis institui μονοπώλεια, æquo duntaxat compendio. At qui, ut in *Velabro olearii*, ex *Comico*, ex compacto id agunt, ut res suprâ pretium id, quod summum nunc est in communi pretio, vendantur, aut vi, aut fraude impediunt, ne major copia

topia importetur, aut ideò merces coëmunt, ut vendant pretio, quod tempore venditionis iniquum fit, injuriam faciunt, atque eam reparare tenentur. Quòd si alio modo impediunt invectionem mercium, aut ideò coëmunt, ut pluris vendant, pretio tamen pro temporis ratione non iniquo, faciunt quidem adversùs charitatis normam, quod multis evincit *Ambrosius libro Officiorum tertio*, sed propriè jus alterius non violant.

§. LXXIII.

*Locatio & Conductio*, ut rectè à *Cajo* dictum est ibi proxima est Locatio Conductio.  
 l. 11. D. *Locati*, proxima est *Venditioni & Emtioni*, eisdemque regulis consistit. Eà pro mercede alicui usus rei, aut opera addicitur. Et licet regulariter in antecessum de mercede soleat conveniri: tamen si quis citra definitam prius mercedem alteri operam, aut usum suæ rei addixerit, censetur id expectare, quantum communis usus, aut *Conductoris* æquitas tulerit. Si res locata planè perierit, ex eo tempore *Conductor* ad mercedem, seu pensionem non amplius tenetur. Quòd si res locata certum ac definitum habeat usum, uti *Dominus* eam præstare debet, quò ei usui sit idonea: ita si illa detrimenti quid ceperit, *Conductor* de pensione detrahit, quantum usui rei decesserit. Sed si rei locatæ proventus sit incertus, & aliquid aleæ contineat, uti exuberans proventus *conductoris* lucro, ita malignus ejusdem damno est: nec stricto jure de pensione ob sterilitatem quidquam detrahendum; præsertim cum unius anni sterilitas alterius ubertate soleat pensari. Nisi casus, qui proventum interceperint, rariores fuerint, & de quorum aleâ in se suscipiendâ *Conductor*

H

Conductor cogitasse non præsumitur. Cæterum uti qui rem aliquam alteri locavit, præstare tenetur, ut ipsa usui sit habilis, impensasque necessarias tolerare: ita Conductor ad boni Patrisfamiliæ modum eadem uti, & quæ ipsius culpâ perita fuêrunt, restituere debet. Et qui opus faciendum conduxit, quod suâ culpâ corruptum est, itidem præstat. Qui momentaneam suam operam alicui locavit, ubi eam quocunque casu præstare impeditus fuerit, mercedem petere non potest. Sed qui continuam alicujus operam conduxit, ubi is morbo, aut alio casu per modicum tempus ad operam inutilis fuerit factus, inhumaniter ipsum vel planè suâ functione deficit, vel de pensione eidem quid detrahit. Quòd si una opera pluribus utilis esse possit, ut itineris susceptio, & locator pluribus se in solidum singulis obstrinxerit, poterit de singulis mercedem pacisci, quam ab uno exigeret, ubi lex non obstat: Quia quod illa opera secundo utilis est, extrinsecum est Contractui, qui cum primo est initus, neque respectu primi quicquam minuit de æstimatione.

§. LXXIV.

*Sequitur  
Contractus  
Mutui.*

In Contractu mutui datur alicui res fungibilis eâ lege, ut is post intervallum idem genus reddat, in eadem quantitate & qualitate. Vocantur autem res, quæ mutuo solent dari, fungibiles, seu quæ functionem in suo genere recipiunt, ideò, quia quodlibet ex isto genere vicem alterius ita subire potest, ut qui ex eodem genere, eadem quantitate & qualitate receperit, idem, quod dedit, recepisse dicatur. Eadem quoque res pondere, numero & mensurâ determinantur & specificantur: quo respectu etiam quan-

quantitates solent adpellari, speciebus contradistinctæ. Cæterum datur aliquid mutuo, vel gratis, ita ut non plus, quam datum fuit, recipiatur; vel cum aliquo emolumento, quod Usuræ vocabulo insignitur. Quæ nihil habet naturali juri repugnans, siquidem fuerit modica & respondens lucro, quod alter ex pecuniâ, aut aliâ re creditâ facit: meoque damno, aut lucro cessanti, quod ex absentia rei meo capio; & ubi non exigatur ab hominibus tenuibus, apud quos mutuum vicem eleemosynæ subit. *vid. Grot. lib. 2. cap. 12. §. 20.* ubi etiam agit de lege Hebræis datâ, quæ vetat Hebræos Hebræis pecuniam dare foenori.

§. LXXV.

In Contractu Societatis duo pluresve inter se pecuniam, res, aut operas conferunt eo fine, ut quod inde redditus lucri inter singulos pro ratâ dividatur; & si quid damni capiatur, id simili modo à singulis pro ratâ feratur. In quâ societate uti officii est fidem & industriam adhibere; ita ex illâ intempestivè & in fraudem Socii discedi non debet. Cæterum Societate solutâ quilibet post detractum lucrum, aut damnum, quantum intulit, recipit. Quòd si autem unus pecuniam, aut rem, alter operam contulerit, videndum est, quomodo facta sit collatio. Quando enim alterius Opera tantum versatur circa istius pecuniam, aut rem tractandam, aut distrahendam, partes lucri ita definiuntur, prout sese pecuniæ, aut rei emolumentum ad pretium operæ habet, & fors salva est ac perit ei, qui contulit. Quando autem opera impenditur ad meliorandam rem ab altero collatam, iste pro ratione melioratio-

*Quem excipit Contractus Societatis.*



nīs in ipsā quoque re partem habere intelligitur. Ast ubi omnium bonorum Societas est inita, singuli focii, uti quæ lucrantur, fideliter conferre debent; ita contra ex communi massâ pro ratione conditionis suæ singuli sustentandi. Solutâ autem Societate divisio bonorum fit pro ratione eorum, quæ singuli in Societatem initio intulêrunt; non attendendo, per cujus bona Societati lucrum, aut damnum provenerit; nisi aliter sit conventum.

§. LXXVI.

*Contractum beneficium primum est Mandatum.*

Contractus benefici sunt præcipuè tres. Mandatum, Commodatum & Depositum. Mandatum est, quando quis gratis alterius negotia, ipso requirente & committente, expedienda suscipit. Idque contingit duplici ratione; vel ut præscribatur ipsi modus rei expediendæ; vel ut is ejusdem judicio ac dexteritati relinquatur. In hoc Contractu uti summâ cum fide & industriâ versandum est; quippe cum nemo ferè nisi Amico, & de quo optimè sentit, mandat: ita contra mandatarius indemnis præstari debet à sumtibus in rem sibi commissam factis: nec non à damnis, in quæ ex causâ mandati incidit, & quæ propriè ex ipsâ re mandatâ profluxerunt.

§. LXXVII.

*Alter, Commodatum.*

Commodatum est, quo rei nostræ usum alicui gratis concedimus. In quo observandum: ut quis eandem sollicitè & summâ cum diligentia servet, tractetque: neque ipsam ad alios usus adhibeat, aut ulterius, quàm commodans concessit: ac illæsam, & prout accepta fuit, restituat, nisi quantum per ordinarium usum eidem decessit. Quòd si res ad certum tempus fuerit concessa, & interea Dominus eadem

eādē valde indigere incipiat , ex casu aliquo tempore commodationis factæ non præviso , repenti eadem citra tergiversationem erit restituenda. Quod si autem res comodata casu fortuito & improviso citra omnem commodatarii culpam perierit, ejus æstimatio non erit solvenda , ubi eadem apud Dominum quoque peritura fuerat. Aliàs æquum videtur commodatarium rei æstimationem præstare, quippe quam Dominus amissurus non fuerat, n̄ adversus alterum benignus fuisset. Vice versa si quid utilium, aut necessariarum impensarum in rem comodatam factum sit, extrà eas , quæ aliàs usum rei regulariter comitantur, id à Domino refundendum erit.

§. LXXVIII.

Depositum est, quo rem nostram, aut ad nos <sup>Tertius, De-</sup> quocunque modo spectantem, alterius fidei com- <sup>positum.</sup> mittimus, ut eandem gratis custodiat. In quo requiritur, ut res concredita diligenter custodiatur, & quandocunque deponenti placuerit, restituatur; nisi ea restitutio Domino, aut aliis noxia sit futura, tum illa erit differenda. Neque licebit re depositâ citra consensum Domini uti, siquidem ea ullo modo per usum fiat deterior, aut domini intersit, ne ea conspiciatur. Ac si quis hoc ausus fuerit, quævis pericula, in quæ res ob usum incidit, præstabit. Sed nec licet rem depositam exuere illis vinculis, aut receptaculis, quibus à deponente fuit inclusa. Cum autem valde turpe sit, & foedius furto, depositum abnegare; tum id multò est turpius, si quis inficiatus fuerit depositum miserabile, seu quod ob periculum incendiî, ruinæ, tumultus deponitur. Vicissim

sim à deponente sumtus in rem depositam facti sunt refundendi.

§. LXXIX.

*Dantur  
isem Contra-  
ctus, qui a-  
leam conti-  
nent.*

Dantur quoque complures Contractus, qui aleam continent. Quos inter referre possis Sponsiones, quando eventus alicujus, nondum utrinque notorii, existentiam alter affirmat, alter negat, certo pretio utrinque deposito, quod illi cedat, cujus assertioni eventus congruere deprehensus fuerit. Huc pertinent omnia ludorum genera, in quibus aliquo pretio certatur. Inter quos tamen minus aleæ habent, qui certamen ingenii, dexteritatis, solertiae, aut roboris continent. In quibusdam ingenium & alea pari vigore sese exserit. In aliis deniq; alea prædominatur. Etsi rectorum civitatis sit dispicere, quousque ex usu publico, aut singulorum sit, ejusmodi Contractus tolerari! Huc spectat Lotaria, quando plures de re, quam collatiã pecuniã emunt, post sorte decernunt, cui soli ea tota debeat cedere. Item Olla fortunæ, quando, dejecto in urnam certo tesserarum, seu Scedularum numero, inscriptarum & inanium, pretio redimitur facultas easdem extrahendi, ita ut extrahens id accipiat, quod illarum inscriptio præ se fert. Hisce Contractibus affinis est Asscuratio, seu Contractus periculi avertendi & præstandi, quo quis certã pecuniã acceptã in se suscipit & præstat pericula, quæ subitura sunt merces in alia loca transportandæ. De Servitutibus, realibus & personalibus, videantur *DD.*

§. LXXX.

*Contracti-  
bus adjici so-*

Ad majorem firmitatem Contractibus frequenter solent adjici Fidejussiones & pignora. In Fidejussione

jussione alius homo, qui creditori idoneus judicatur, principalis Debitoris Obligationem in se suscipit, ita ut nisi iste solvat, hic ipsius vices subeat: ut tamen quod erogavit, à principali Debitore ipsi refundi debeat. Etli autem ad majorem summam fidejussor, quàm debitor principalis, teneri non possit, non tamen repugnat, istum, quàm hunc, arctius teneri; quippe cum huic plus, quàm illi, fidei fuerit habitum. Naturaliter tamen principalis debitor prius, quàm fidejussor est appellandus, nisi hic istius obligationem planè in se receperit; qui Expromissor vocari solet. Quòd si plures pro uno fidejusserint, pro ratà duntaxat erunt singuli conveniendi: nisi forte quis eorum solvendo non sit, aut ejusdem conveniendi non detur facultas. Tunc enim reliqui hujus portione onerabuntur. Sape quoque solet Creditori in securitatem crediti tradi, aut assignari à Debitore certa quaedam res, Pignoris, aut Hypothecæ nomine, quousque istud fuerit exsolutum. Cujus finis est non solum, ut Debitor ad solvendum urgeatur desiderio rei suæ recuperandæ; sed & ut in promptu sit, unde sibi solvatur. Inde & regulariter pignora tanti, aut majoris esse solent, quàm ipsum debitum. Cæterum res, quæ pignori opponuntur, sunt vel fructuosa, vel steriles. Circa priores sæpe adjici solet Pactum ἀνυχθῆσεως, seu ut Creditor loco usuræ fructus istius pignoris percipiat. Circa posteriores autem lex commissoria, ut nempe pignus cedat creditori, ubi intra certum tempus solutio non sit facta. Id quod naturaliter iniquum non est, ubi pignus plaris non est, quàm debitum, & usura intermedii temporis, aut si quod excedit,

*lens Fidejussiones & pignora.*

excedit, domino restituatur. Uti autem creditor pignus solutione factâ debet restituere: ita interea non minorem, quàm propriis rebus, illi custodiam debet: & ubi pactum antichreticum non accessit, sitque talis res, quæ usû atteratur, aut si debitoris ullo modo interfit, invito hoc eâdem uti non potest. Differt Hypotheca à pignore, quod hoc constituitur rei traditione; hæc autem re non traditâ constat nudâ assignatione rei, imprimis immobilis, ex quâ solutione non factâ, Creditor suo credito potiri queat.

§. LXXXI.

*In Contra-  
ctibus onero-  
sis observan-  
da est æqua-  
litas.*

Habent autem hoc omnes Contractus onerosi, ut in illis servari æqualitas debeat, seu ut uterque Contrahentium tantundem nanciscatur, & ubi inæqualitas intervenerit, alteri, qui minus accepit, nascatur jus ad postulandum, ut suppleatur, quod sibi deest, aut ad contractum planè abrumpendum. Ad hanc autem æqualitatem inveniendam & determinandam requiritur, ut utrique contrahentium res ipsa, circa quam contrahitur, cum suis qualitatibus, quæ aliquod momentum heic habent, sit cognita. Unde *is, qui cum aliquo contrahit vitia sibi nota rei, de quâ agitur, significare debet, l. 1. D. de act. emti & venditi*, quod non civilibus tantum legibus constitui solet, sed naturæ quoque actibus congruit. Nam inter contrahentes propior quædam est societas, quam quæ communis est hominum. Etsi illas circumstantias, quæ per se rem non contingunt; ut si quis sciat, multas naves in cursu esse, quæ frumentum advehunt, indicare non sit necesse: nam tale quid indicare, est quidem officiosum ac laudabile,

bile, sæpe aded, ut omitti nequeat, nisi ut charitatis regula violetur; non tamen injustum, id est, non pugnans cum jure ejus, quicum negotium est. Vitia autem utrinque jam nota dici, nihil attinet: scientia enim utrinque par pares facit contrahentes.

*Horatius:*

*Ille feret pretium, pœna securus, opinor:*

*Prudens emisti vitiosum.*

Quod & notatum *Platoni undecimo de legibus.*

Neque verò tantum in intellectu rerum; sed & in voluntatis usu quædam contrahentibus inter se æqualitas debetur: ne quis scilicet metus incutiat contrahendi causâ, aut si incussus est, ut dematur. Eousque autem in hisce Contractibus æqualitas est adhibenda, ut, licet nihil dissimulatum sit, tamen, si postea inæqualitas deprehendatur, etiam citra culpam contrahentium, puta, quia vitium latebat, aut in pretio est erratum, ea corrigenda sit, & demendum ei, qui plus habet, addendumque minus habenti: Quia in Contractu id utrinque propositum aut fuit, aut esse debuit, ut uterque tantundem haberet. Lex Romana constituit hoc non in quâvis inæqualitate, minima enim non persequitur, imò & occurrendum censet multitudini litium, sed in satis gravi, ut quæ dimidium justî pretii excedit. Nimirum *leges*, ut ait *Cicero*, *iniqua tollunt, quatenus manu teneri possunt; Philosophi, quatenus ratione & intelligentiâ.* Sed & in Contractibus beneficis quandam rei æqualitatem spectari, non quidem omnimodam, ut in commutatoriis, sed ex suppositione ejus, quod agitur, ne quis scilicet ex beneficio damnum sentiat, ex *supra dictis* elucet.

*Mensura  
ejus, quod  
res quaeque  
valeat; pre-  
sium com-  
mune voca-  
tur.*

Mensura ejus, quod res quæque valeat, maxi-  
mè naturalis est indigentia, ut *Aristoteles* rectè osten-  
dit: non tamen hæc unica est mensura. Nam ho-  
minum voluntas, quæ rerum domina est, multas res  
magis desiderat, quàm sunt necessariæ. *Margaritâ*,  
inquit *Plinius*, *pretium luxuria fecit*. Et contra eve-  
nit, ut res maximè necessariæ minoris sint propter  
copiam. Quod *Seneca* multis exemplis ostendit li-  
bro de Beneficiis VI. cap. 15. ubi & hoc addit: *Pretium  
cujusque rei pro tempore est, cum bene ista laudaveris,  
tanti sunt, quanto pluris venire non possunt.* *Paulus J Ctus*,  
l. pretia D. ad l. Falc. *Pretia rerum non ex affectu, nec  
utilitate singulorum, sed communiter funguntur*, id est,  
ut explicat l. si servum D. ad l. Aquil. quanti omnibus  
valeret. Hinc fit, ut res tanti æstimetur, quantum  
pro eâ communiter offerri, aut dari solet. Quod vix  
est, ut non aliquam latitudinem habeat, intra quam  
plus minusvè dari, aut exigi possit, nisi ubi lex cer-  
tum rebus pretium ἐν σιγμῇ, ut *Aristoteles* loqui-  
tur, constituit. In communi autem illo pretio ra-  
tio haberi solet laborum & expensarum, quas mer-  
catores faciunt: soletque subitò quoque mutari, ex  
copiâ & inopiâ ementium, pecuniæ, mercium. Cæ-  
terum possunt & quædam esse accidentia rei æsti-  
mabilia, ob quæ res licitè supra, aut infra commu-  
ne pretium ematur, vendaturvè, puta ob damnum  
consequens, lucrum cessans, affectum peculiarem,  
aut si in gratiam alterius res vendatur ematurvè, a-  
lioqui non emenda, aut vendenda; Quæ ipsa acci-  
dentia ei, cum quo agitur, indicanda sunt. Ejus quo-  
que damni, aut lucri cessantis, ratio haberi potest,  
quod

*Et tamen,  
ubi licitè res  
suprà, aut  
infra com-  
mune pre-  
sium venda-  
tur, ematur-  
vè.*

quod ex pretii solutione dilatâ, aut anticipatâ, nascitur. Heic inserantur gravissimæ materiæ, de Juramento : Officiis fermocinantium : De Interpretatione circa Pacta & Contractus faciendâ, insigniter pertractatæ à *Grotio, Puffendorffio, τὸ πῶνυ Thomasio*, & compluribus aliis. Quæ etenim meminimus de Contractibus, erunt itidem observanda circa Juramentum, ceu vinculum illorum & religiosam asservationem, teste & vindice invocato Summo Numine, &c.

§. LXXXIII.

Si quis animum suum, cujus post mortem bona sua esse velit, sufficientibus argumentis probaverit atque declaraverit, ejus quidem fient, quam jus Naturæ liberos à Parentum hereditate arceri vetet, & Parentes cognatumque sanguinem impium sit, nisi justis, quas Latores constituêrunt, causis. Si quis verò voluntatis suæ nullam edidisset testationem, cum tamen credibile non esset, ejus eum mentis fuisse, ut post mortem suam bona occupanti cederent, sequebatur, ut ejus esse bona intelligerentur, cujus ea esse voluisse defunctum maxime erat probabile. *Defunctorum voluntatem intellexisse, inquit Plinius, pro jure est.* Creditur autem in dubio, id quisque voluisse, quod æquissimum atque honestissimum est. In hoc autem genere prima est causa ejus, quod debetur; proxima ejus, quod, etsi non debetur, officio congruit. De Liberis infra. Ubi desunt Liberi, quibus naturaliter deferatur Successio, minus expeditum est, nec ullâ in parte magis variant leges. Tota tamen varietas ad duos maxime fontes referri potest, quorum alter respicit proximita-

*Transsum porro res jure successione in bona defuncti, per testamentum.*

*Vel ab intestato.*

*Quibus post Liberos naturaliter Successionem ab intestato deferri conveniat, monstratur.*



mitatem gradus, alter bona redire vult, unde venerant, quod dici solet, *paterna paternis, materna maternis*; Nobis omnino, cum *Grotio*, distinguendum videtur inter bona paterna avitaque, ut illa quidem salva maneant generi, unde venerunt; & inter noviter quaesita. Concedimus enim plenum Dominium esse penes eum, de cuius voluntate agimus; Sed cum post mortem Dominium hoc retinere non possit, & omnino pro certo haberi debeat, noluisse eum perdere beneficii materiam, videndum est, quis sit in beneficiis ordo maxime naturalis. Bene *Aristoteles*: *Potius est, gratiam referri ei, qui benefecit, quam amico conferre beneficium: quid enim tam contra Officium, quam non reddere, quod acceperis?* Gratia autem refertur aut viventibus, aut defunctis. Defunctis refertur gratia in eorum liberis, qui naturaliter pars sunt Parentum, & quibus, si viverent, Parentes maxime vellent benefieri. Quod si non reperitur is, à quo proximè bona venerunt, ejusque liberi, restat, ut gratia referatur his, quibus minus quidem, sed tamen post illum proximè debentur, id est, Parenti superioris gradus, ejusque liberis; praesertim cum eo modo maneatur intra proximos, & ejus, de cuius hereditate agitur, & ejus, à quo proximè bona venerunt. At in bonis noviter quaesitis, cum cesset gratiae referendae officium, superest, ut ei deferatur Successio, qui defuncto charissimus fuisse creditur. Is autem est, qui gradu cognationis proximè defunctum attingit. *Quid justius, quam ut quae cognati fuerant, cognatis cedant?* Optime, inquit *Cicero*, *societas Hominum conjunctioque servabitur, si, ut quisque erit conjunctissimus, ita in eum benignitatis*

*nitati plurimum conferatur. Tacitus: Liberos cuique ac propinquos suos natura charissimos esse voluit. Quod de bonis noviter quæsitis diximus, ea naturaliter proximis deferri, idem locum habebit in bonis paternis avitisque, si nec ipsi, à quibus venērunt, nec eorum liberi existant, ita ut gratiæ relatio locum non inveniatur. Hæc verò, quæ diximus, quanquam naturali conjecturæ sunt maximè consentanea, non sunt tamen jure naturæ necessaria; ac proinde ex diversis causis, voluntatem humanam moventibus, variari solent pactis, legibus, moribus. Quoties hinc ergò voluntatis expressiora indicia nulla sunt, creditur quisque id de suâ successione statuisse, quod lex, aut mos habet populi.*

§. LXXXIV.

Ex jure Domini hæc nascitur obligatio adversum nos, ut in rebus quidem existantibus is, qui rem nostram habet in suâ potestate, efficere teneatur, quantum in se est, ut in nostram potestatem veniat. Quantum in se est, dico: neque enim obligatur ad impossibile, neque ad reddendam rem suis impensis; sed indicare tenetur, ut alter recipere suum possit. Neque hîc consideratur, bonâ quis, an malâ fide rei possessionem nactus sit, alia est enim obligatio ex delicto, alia ex re. Et rectè ab Ulpiano est proditum, *qui rem alienam invenit, eum ita ad eam domino reddendam teneri, ut εὐεργετον, hoc est, præmium inventionis, petere non possit.* Reddendi autem sunt & fructus, salvis impensis.

*Ex jure Domini obligatio nascitur rei quidem existantibus restituenda;*

§. LXXXV.

Rebus non existantibus, si tu ex re meâ factus es locupletior, me rem non habente, in tantum teneris,

*Rebus non existantibus, in tantum*

*aliquis tene-  
tur, in quan-  
tum est fa-  
ctus locuple-  
tior.*

neris, in quantum es factus locupletior; quia qua-  
tenus ex meo lucratus es, plus habes, cum ego mi-  
nus habeam: Introducta autem sunt Dominia ad  
servandam æqualitatem, in eo scilicet, ut quisque  
suum haberet. *Contra naturam esse, ait Tullius, ex bo-  
minis incommodo suum augere commodum. Videtur enim  
dolo malo facere, inquit Proculus, qui ex alienâ jactu-  
râ lucrum querat:* ubi doli mali vox id omne signi-  
ficat, quod naturali juri & æquitati repugnat. Est  
hujus dicti tanta æquitas, ut multa hinc definiant  
Jurisconsulti extrâ legum præscripta, semper ad ip-  
sam æquitatem, ut evidentissimam, provocantes;  
vid, *Groz. lib. 2. cap. 10. §. 2.*

§. LXXXVI.

*Ad quid b. f.  
Possessor te-  
netur, hinc  
ergò apparet.*

Apparet hinc etiam, bonæ fidei possessorem  
(nam malæ fidei possessor ultra rei rationem ex fa-  
cto suo tenetur) non teneri ad ullam restitutio-  
nem, si res perierit: quia nec res ipsa apud eum est,  
nec lucrum ex re.

Secundò bonæ fidei possessorem teneri ad re-  
stituendos etiam fructus exstantes rei: dico fructus  
rei: nam industriæ fructus etiam si sinè re non pro-  
cederent, rei tamen non debentur. Causâ hujus  
obligationis est ex Dominio: nam qui Dominus est  
rei, idem naturaliter Dominus est fructuum rei.

Tertiò, bonæ fidei possessorem teneri ad resti-  
tutionem & rei & fructuum consumptorum; si mo-  
dò aliàs quoque tantundem consumpturus fuerat:  
Nam in hoc locupletior censetur.

Quartò, non teneri eum ad fructus, quos per-  
cipere neglexit: quia nec rem habet, nec quid-  
quam, quod rei loco succedit.

Quintò,

Quintò, si talis possessor rem sibi donatam alii donaverit, non teneri eum, nisi omninò etiam sine hâc re donaturus tantundem fuisset, tunc enim lucrum erit, rei suæ pepercisse.

Sextò, si rem emtam vendiderit, non teneri, nisi quatenus fortè pluris vendiderit: Quòd si donatam vendiderit, teneri ad restituendum pretium, nisi forte prodegerit pretium, aliàs non producturus.

Septimò, rem alienam bonâ fide emtam restituendam, nec posse erogatum pretium repeti, nisi quatenus Dominus rei suæ possessionem recipere sine impendio aliquo probabiliter non potuit, ut puta, si res apud Piratas fuerit. Tum enim deduci poterit, quantum Dominus impensurus libenter fuerat; Ipsa enim facti possessio, præsertim recuperatu difficilis, est aliquid æstimabile, & in hoc Dominus post rem amissam censetur factus locupletior. Et ideo, cum rei suæ emtio ordinario jure non valeat, valere tamen eam ait *Paulus JCrus*, si ab initio id convenit, ut possessio, quæ apud alterum est, ematur.

Octavò eum, qui rem alienam emit, non posse eam restituere venditori, ut pretium servet; quia ex quo res in ejus fuit potestate, jam, ut diximus, coepit obligatio restituendi.

Nonò, eum, qui rem habeat, cujus Dominus ignoratur, non teneri naturaliter eam rem pauperibus dare. Quanquam valde hoc pium sit, & rectè multis in locis constitutum. Ratio est, quia ex Dominio nemo jus habet præter Dominum; Non esse autem & non apparere tantundem valent quoad eum, cui non apparet.

Deci-

Decimò, naturaliter quod ob causam turpem, aut honestam, ad quam quis obligabatur, acceptum est, non esse restituendum, quanquam hoc quoque non immeritò legibus quibusdam introductum est. Ratio est, quia ratione rei nemo tenetur, nisi res sit aliena; hîc autem Dominium transit ex prioris Domini voluntate. Aliud erit, si in ipso accipiendi modo vitium fuerit, puta extorsio, hoc enim est aliud obligationis principium, de quo mox agemus.

§. LXXXVII.

*Dammum datum naturalis obligatio vult ut refarciatur.*

Veniamus ad id, quod ex maleficio natura liter debetur. Maleficio hîc appellamus culpam omnem, sive in faciendo, sive in non faciendo, pugnantem cum eo, quod aut homines communiter, aut pro ratione certæ qualitatis facere debent. Ex tali culpâ obligatio naturaliter oritur, si damnum datum est, nempe ut id refarciatur. Damnum vocatur, cum quis minus habet suo, sive illud suum ipsi competit per ipsam naturam; uti est vita, corpus, membra, pudicitia, libertas; sive instituto aliquo & conventionem humanâ sit quæsitum. At ex solâ aptitudine, quod jus minus propriè dicitur, & ab assignatrice justitiâ spectatur, ut *Grotius* loquitur, non oritur verum dominium, ac proinde restitutionis obligatio: quia non id alicui suum est, ad quod aptus est. *Contra propriè dictam justitiam nihil committit, qui pecuniâ suâ alteri non succurrit, præ tenacitate, inquit Aristot. add. Puffendorff.*

§. LXXXVIII.

*Dammum autem quis fecisse etiam in Fructibus intelligitur.*

Minus autem quis habere, ac proinde damnum fecisse intelligitur, non in re tantum; sed & in fructibus

bus, qui propriè rei fructus sunt; five jam sint percepti, five adhuc sperentur, si modò Dominus eos percepturus fuerat: deductis tamen impensis, quæ ad fructuum perceptionem fuèrunt necessariae, aut quibus res melior facta est, ex regulâ, quæ nos vetat locupletiores fieri, cum alienâ jacturâ. Sed & spes lucri ex nostro æstimabitur, non ut illud ipsum; sed secundum propinquitatem ad actum, ut in semente spes messis, seu, ut hæc *Grotii* obscurius dicta tralocquitur *Puffendorff*, æstimatio fructuum speratorum intenditur, aut remittitur, prout propius, aut longius à fine incerti proventus remoti fuerint.

§. LXXXIX.

Tenentur autem præter ipsum, qui per se & *ἀμέσως* De Damno dato omnes tenentur, quæ momentum aliquod attulerint aut ad totum damnum, aut ad partem eius. *damnum* dat, alii quoque faciendo, aut non faciendo: & quidem faciendo, primariò, qui jubet, qui consensum requisitum adhibet, qui adjuvat, qui receptum præstat, aut qui alio modo in ipso crimine participat. Secundariò, qui consilium dat, laudat, assentatur: *Quid enim interest inter suasorem facti & probatorem?* ait *Cicero*. Non faciendo, primariò, qui cum ex jure propriè dicto debeat vetare præcepto, aut opem ferre ei, cui fit injuria, id non facit. Secundariò, qui aut non dissuadet; cum debeat, aut factum reticet, quod notum facere debebat, ex jure scilicet proprio, quod justitia expletrix respicit, five illud ex lege, five ex qualitate exoritur; Nam si debeat ex charitatis normâ, peccabit quidem omittendo, non tamen ad reparationem tenebitur, cujus origo est jus aliquod proprium, ut ante diximus.

K

§. XC.

§. XC.

*§. scilicet  
verè causa  
fuerint da-  
mni.*

Sciendum quoque hos omnes, quos diximus, ita teneri, si verè causa fuerint damni, id est, momentum attulerint, aut ad totum damnum, aut ad partem damni. Nam sæpe accidit in agentibus, vel negligentibus secundarii ordinis; interdum etiam in quibusdam, qui sunt ordinis primarii, ut etiam sine eorum actu, aut neglectu is, qui damnum dedit, certus fuerit, id ipsum dare: Quo casu illi, quos dixi, non tenebuntur. Quòd tamen non ita intelligendum est, ut si alii defuturi non fuerint, puta qui suaderent, aut juvarent, non teneantur, qui suaserint, aut juverint, si absque ope, consilio, qui dedit damnum, daturus id non fuisset. Nam & illi alii, si suafissent, aut adjuvissent, tenerentur.

§. XCI.

*Et suo quis-  
que ordine.*

Tenentur autem primo loco ii, qui imperio, aut alio modo aliquem impulêrunt ad factum; His deficientibus patrator facinoris; & post eum cœteri; in solidum singuli, qui ad actum causam dedêrunt, si totus actus ab ipsis, quanquam non solis, procesfit.

§. XCII.

*Qui verò de  
actu tenen-  
tur simul re-  
mentur de  
his, que il-  
lum ex actûs  
vi sunt con-  
secuta.*

Qui verò de actu tenetur, simul tenetur de his, quæ illum ex actûs vi sunt consecuta.

Sic Homicida injustus tenetur solvere impen-  
sas, si quæ factæ sunt in medicos, & iis, quos occi-  
sus alere ex officio solebat, puta parentibus, uxo-  
ribus, liberis dare tantum, quantum illa spes alimen-  
torum, ratione habitâ ætatis occisi, valebat. Lo-  
quimur de Homicidâ injusto, id est, qui non habuit  
jus id faciendi, unde mors sequitur; Quare si quis  
jus

ius habuerit; sed in charitatem peccaverit, ut qui fugere noluit, non tenebitur. Vitæ autem in libero homine æstimatione non fit, secus in servo, qui vendi potuit.

Qui mutilavit, similiter tenebitur ad impensas & ad æstimationem ejus, quod jam qui mutilatus est, minus poterit lucrari. Sed sicut ibi vitæ, ita & hic cicatricis in libero homine æstimatione non fit. De conjectione in Carcerem idem dicendum.

Sic Adulter & Adultera tenentur non tantum indemnem præstare maritum ab alendâ prole, sed & legitimis liberis rependere, si quod damnum patiuntur ex concursu ita susceptæ sobolis ad hæreditatem. Qui Virginem imminuit vi, aut fraude, tenetur ei rependere, quanti minoris ipsi valet spes nuptiarum: Imò & ducere tenetur, si eâ promissione corporis usuram impetraverit.

Fur & raptor tenentur rem subtractam reddere cum suo incremento naturali, & cum sequente damno, aut cessante lucro: & si res perierit, æstimationem non summam, non infimam, sed mediam. Similiter tenentur, qui judicio injusto, accusatione injustâ, testimonio injusto damnum dedêrunt.

Sed & qui Contractui aut promissioni causam dedit dolo, vi, aut metu injusto, tenetur eum, quicum actum est, in integrum restituere; quia ille jus habuit, tum ne diciperetur, tum ne cogeretur. Illud ex naturâ Contractus, hoc ex naturali etiam libertate. His annumerandi sunt, qui id, quod ex officio facere tenebantur, facere noluerunt, nisi pecuniâ acceptâ. At qui causam dedit, cur vim pati, aut metu cogi debeat, habet quod sibi imputet: nam



involuntarium ex voluntario ortum habens, moraliter pro voluntario habetur.

Quod si promissor negligens fuit in re explorandâ, aut in sensu suo exprimendo, & damnum inde alter passus sit, tenebitur id resarcire promissor, non ex vi promissionis, sed ex damno per culpam dato. Ut mancipium, aut animal, quod damnum, aut pauperiem fecit, noxæ datur, ex jure Civili est; Nam Dominus, qui in culpâ non est, naturâ ad nihil tenetur.

Sed damnum etiam adversus honorem & famam datur, puta verberibus, contumeliis, maledictis, calumniis, irrisu aliisque similibus modis, quod reparari debet, culpæ concessione, exhibitione honoris, testimonio innocentia, & per ea, quæ his similia sunt: Quanquam & pecuniâ tale damnum re-  
pendi poterit, si læsus velit; quia pecunia communis est rerum utilium mensura.

§. XCIII.

*Præter communem illam Hominum ætior quædam Societas in Conjugio apparet.*

Confociatio, præter illam communem omnium Hominum, maximè naturalis in Conjugio apparet. Fert huc acerrimus instinctus naturalis, cum brutis quoque communis: Hinc *Ulpianus noster* eam juris naturalis, quod Natura omnia animalia docuerit, facit, l. i. D. J. & J. Prudenter autem Natura suffixit hos stimulos:

*Providit ille maximus mundi parens,  
Cum tam rapaces cerneret fati manus,  
Ut damna semper sobole repararet nova.  
Excedat, agedum, rebus humanis Venus,  
Quæ supplet ac restituit exhaustum genus:  
Orbis jacebit squallido turpis situ, &c.*

*Seneca*

Seneca Hippolyto Act. 2. sc. 1. add. Nov. 140. in præfat.  
 & Nov. 39. in f.

Conjugium verò naturaliter esse existimamus, Ad cuius ef-  
sentiam na-  
turaliter  
que requi-  
rantur, Gro-  
tius nobis  
suppeditat. cum Grotio, cohabitationem maris cum foemina, quæ foeminam constituat quasi sub oculis & custodia maris; nam tale consortium & in mutis animalibus quibusdam videre est; in homine verò, quæ animans est utens ratione, ad hoc accessit fides, quæ se foemina mari obstringit. Finis illius procreatio sobolis, aut certè expletio libidinis, cuius plerumq; effectus est liberorum procreatio, & mutuum adiutorium: Prohibet ergò Natura reliquos omnes *συνοσιασµος*, qui solam libidinis expletionem intendunt, & irritum pronunciat illud Conjugium, quod his duobus destituuntur finibus. Nec aliud, ut Conjugium subsistat, Natura videtur requirere; sed nec divinam legem amplius exegisse ante Evangelii propagationem, ceu quæ plures unâ uxores habere, & divortiorum libertatem permiserit, & plerasq; antiquitus Gentes, ut divortiorum libertate, ita plurium foeminarum Conjugio usas, pluribus probare contendit *Heros ille Grotius*. At Christi lex, *subnectit Idem*, ut res alias, ita & hanc Conjugii inter Christianos ad perfectiorem redegit normam, ex quâ & qui dimisisset Uxorem non adulteram, & qui duxisset dimissam, adulterii reos pronunciat; & Apostolus ejus atque Interpretes *Paulus* non viro tantum jus dat in corpus Uxoris, quod & in naturali statu procedebat: qui etenim connubii lege foeminæ jungitur, is in corpus ejus dominium habet; sed & uxori vicissim in corpus Mariti; & novam in utroque hoc capite à Christo conditam legem, non restitu-

stitutam, quam Deus Pater rerum primordio con-  
diderat, probare porrò infisit.

Hæc tamen ad alium maritum transeundi li-  
bertas ipso naturali jure restringenda est, ne inde  
oriri possit prolis confusio. Apud Hebræos inter  
utrumque matrimonium tres menses interponi ju-  
bebantur.

§. XCIV.

*Parentum  
consensus  
ad ejus va-  
liditatem  
naturaliter  
non re-  
quiritur.*

Parentum Consensus ad validitatem Conjugii  
naturaliter non requiritur. Officio quidem filio-  
rum, & filiarum præcipuè verecundiæ conveniens  
est, ut parentum Consensum impetrent, nisi mani-  
festè iniqua sit Parentum voluntas: Nam si in om-  
nibus rebus liberi reverentiam parentibus debent,  
certè præcipuè eam debent in eo negotio, quod ad  
Gentem totam pertinet, quale sunt nuptiæ. Sed  
hinc non sequitur, quod citra, aut contra Parentum  
consensum fit, jure naturæ irritum esse; Nam qui  
Uxorem ducit & maturæ esse debet ætatis, & extra  
familiam abit, ita ut hâc in re regimini familiari non  
subjiciatur, *vide infra*, solum autem reverentiæ of-  
ficiū non efficit, ut, nullus sit actus, qui ei repu-  
gnat. Quod ergò à Romanis aliisque constitutum  
est, ut quædam nuptiæ, quia consensus Patris defi-  
cit, & neglecta sunt quædam solennia, irritæ sint,  
aut minus honestæ, non ex naturâ est; sed ex Juris  
Conditorum voluntate, & ambitione sacerdotali.

§. XCV.

*Cum jam  
nuptia ma-  
trimonium  
irritum est.*

Cum eâ, quæ alteri nupta est, matrimonium  
haud dubiè irritum est; lege quidem naturæ, nisi  
vir prior eam dimiserit: tamdiu enim durat ejus  
Dominium; Lege autem Christi, donec mors vin-  
culum

culum dissolverit. Irritum autem est ideò, quia & facultas moralis deest, sublata per prius matrimonium, & omnis effectus est vitiosus: Singuli enim actus contrectationem habent rei alienæ. Vicissim ex Christi lege irritum est Conjugium cum eo, qui maritus sit alterius mulieris, ob jus illud, quod Christus foeminae pudicitiam fervanti dedit in maritum.

§. XCVI.

Matrimonia Parentum cujuscunque gradûs cum liberis quò minus etiam jure naturæ licita sint, hanc affert *Grotius* rationem: Nec maritum, qui superior est lege matrimonii, eam reverentiam posse præstare matri, quam natura exigit: nec patri filiam: Quia quanquam inferior est in matrimonio, ipsum tamen matrimonium talem inducit Societatem, quæ illius necessitudinis reverentiam excludat. Bene *Paulus Juris Consultus*, cum dixisset, in contrahendis matrimoniis naturale jus & pudorem inspiciendum, addidit, contra pudorem esse, filiam suam Uxorem ducere: *L. Adoptivus, §. serviles. D. de ritu nuptiarum.* Talia igitur Conjugia irrita erunt insuper, quia vitium perpetuò effectui adhæret. Nec argumentum à Gallis gallinaceis aliisque animantibus mutis petitum probat, commixtiones tales non esse contra jus naturæ: Nam satis est, si cum naturâ humanâ quid pugnet, ut illicitum habeatur; quanquam etiam quædam animantia muta ab ejusmodi commixtionibus naturaliter abhorreant: exstat de Camelo & de equo Scythico nobilis in hanc rem narratio apud *Aristotelem animantium historia nona, capite XLVII.* & non dissimilis apud *Oppianum libro primo de Venatu. Seneca Hippolyto:*

*Matrimonia Parentum cujuscunque gradûs cum liberis, & vice versa, quo minus jure Naturæ licita sint, asseruntur ratione.*

Fera

*Fera quoque ipsa Veneris evitant nefas,  
Generisque leges inscius servat pudor.*

Est scilicet in hominibus, nulla pravâ educatione corruptis, præter id, quod intellectu concipi posse jam diximus, in ipsis affectibus insita fuga quædam commixtionis cum parentibus & ex se natis, *inquit Grotius*. Et hoc est incestum, quod jure Gentium committi scripsit *Paulus Jctus* inter gradus ascendentium & descendentium. Hoc est jus illud, quod *Xenophon* ait, non eò minus jus esse, quia à Persis contemnebatur: naturale enim rectè dicitur, quod apud plerosque non corruptos; sed naturæ convenienter se habentes obtinet. Hæc tamen *Grotii* argumenta ficulnea esse pridem arguit *Juris peritissimus Thomastius*, qui ea potius vetita esse asserit lege divinâ universali, ut & Conjugia eorum, qui sanguine, aut affinitate junguntur: nam cur ea sint illicita, ita ut legibus, aut moribus vetantur, causas certas ac naturales, quæ intrinsicam turpitudinem moralem demonstrent, assignare velle operam ludere est; *eadem habet Grotius*: qui rectè tamen fecisse vult Christianos Veteres, qui leges non illas tantùm in commune datas; sed alias peculiariter Hebræo populo scriptas, sponte suâ observârunt; imò & ad gradus quosdam ultiores protendêrunt verecundiæ suæ fines, ut hâc quoque in virtute non minus, quam in cæteris, Hebræos antecederent. Sed non quod vetitum est fieri lege humanâ, si fiat, irritum quoque est, nisi & hoc lex addiderit, aut significaverit.

*Concubinatum quendam verum*

Concubinatum quendam verum ac ratum esse Conjugium, et si effectibus quibusdam juris civilis propriis

propriis privetur, aut etiam effectus quosdam naturales impedimento legis civilis amittat, rectè statuit *Grotius*, & item *Thomasius* *Disputatione, quæ multum turbarum dedit*. Exempli causâ, inter servum & ancillam jure Romano contubernium esse dicitur, non matrimonium; attamen ad ipsam conjugii naturam nihil deest in tali consociatione. Sic inter hominem liberum & ancillam concubinus dicitur, non matrimonium &c. *vid. Grot. & laudata Thomasi Disputatio.*

*acutum esse  
Conjugium  
statuitur.*

### §. XCVII.

Generatione Parentibus jus acquiritur in liberos, Patri & Matri; sed si contendant inter se imperia, præfertur Patris imperium, ob sexûs præstantiam. In rebus autem conjugii & in rebus familiæ imperium non est commune; sed maritus uxoris caput & uxor pars fit familiæ maritalis. Ideo de Domicilio constituere jus est marito. Si quid ultra juris maritis conceditur, ut lege Hebræa jus rescindendi quævis vota uxoris, apud populos nonnullos jus vendendi bona uxoria, non à naturâ est, sed ab instituto. Distinguenda autem *cum Grotio* in liberis sunt tria tempora: imperfecti judicii, dum abest *πρωαιεσις*: perfecti judicii, sed dum filius pars manet familiæ parentum: Tertium, postquam ex eâ familiâ excessit. In primo tempore omnes liberorum actiones sub Dominio sunt Parentum: æquum enim est, ut qui se regere non potest, regatur aliunde. *Æschyli* dictum est:

*Generazione  
nascitur po-  
testas Paren-  
tum in libe-  
ros.*

*Distinguen-  
da autem in  
liberis quo-  
ad imperium  
Parentum  
sunt tria  
tempora.*

— *Ætas prima, ceu brutum pecus,  
Ut educetur, mentis alienæ indiget.*

L

At

At alius naturaliter inveniri non potest, cui regimen competat, quam parentes. In secundo tempore, cum iudicium ætate maturuit, subsunt Parentum imperiis non aliæ actiones, quàm quæ ad familiæ paternæ, aut maternæ statum aliquid momenti habent: æquum enim est, ut pars conveniat cum ratione integri. In cæteris autem actionibus tenentur quidem liberi studere semper, ut parentibus placeant, ex pietate, observantiâ & gratiæ rependendæ officio; at non ut irritum sit, si quid contra sit factum. In utroque hoc tempore ius regendi etiam ius coercendi complectitur, quatenus nempe vel cogendi sunt ad officium liberi, vel emendandi. In tertio tempore filius in omnibus est *ἀνεξαρτήτος* suiq; juris, manente tamen semper illo pietatis & observantiæ debito, cuius causa perpetua est. Quicquid extra hæc est, à lege est voluntariâ quæ alibi est alia. Quanquam verò imperium paternum ita sequitur Patris personam ac *ἀξίον*, ut avelli transferriq; in alium non possit, potest tamen naturaliter, & ubi lex civilis non impedit, pater filium oppignorare, & si necesse sit, etiam vendere, ubi alia ratio eum alendi non suppetit. Censetur quippe ipsa natura ius dare ad id omne, sine quo obtineri non potest, quod ipsa imperat. Imperat autem Parentibus, ut liberòs alant & educent, indistinctè omnes. *Quia dat formam, dat quæ ad formam sunt necessaria*, dictum est *Aristotelis*: Quare qui causa est ut homo existat, is, quantum in se est, & quantum necesse est, prospicere ei debet de his, quæ ad vitam humanam, id est naturalem ac socialem, nam ad eam natus est homo, sunt necessaria. Cætera quo-

*Nulla alia ratio alendi suppetat. Pater Filium vel vendere potest naturaliter.*

*Natura imperat Parentibus, ut liberòs alant & educent.*

quoque animantia, instinctu scilicet naturali, proli-  
suae, quantum necesse est, alimenta suppeditant.  
Hinc *J Cti veteres* liberorum educationem ad jus na-  
turale referunt, id est, ad illud, quod cum instin-  
ctus naturae aliis quoque animantibus commendat,  
nobis ipsa praescribit ratio. *Naturalis stimulus*, ut Ju-  
stinianus loquitur, id est, *σοφῶν, parentes ad libero-*  
*rum educationem hortatur*: Et quia naturale est hoc  
debitum, ideo etiam vulgo quæsitos alere mater de-  
bet. Et hinc recte quoque dicitur, legitimam hu-  
manis legibus tolli non posse, quatenus scilicet in  
legitimâ insunt alimenta necessaria. Nam quod su-  
pra est, tolli potest, non repugnante naturâ.

Hinc fit, ut, etiam citra auxilium legis civilis, *Hinc etiam*  
prima bonorum successio liberis deferatur: Quia *naturaliter*  
creduntur parentes illis, ut corporis sui partibus, *liberis prima*  
non tantum de necessariis, sed & de his, quæ ad vitam *bonorum*  
suavius honestiusque transigendam pertinent, quàm *successio de-*  
uberrimè voluisse prospectum, ab eo maxime tem- *feratur.*  
pore, quo ipsi rebus suis frui non possunt. *Ratio*  
*naturalis*, inquit *Paulus J Ctus*, quasi lex quaedam ta-  
cita, liberis parentum hereditatem addicit, velut ad de-  
bitam successionem eos vocando. Vicissim & Parenti-  
bus à liberis debentur alimenta, tanquam auctori-  
bus vitæ ac tantorum aliorum beneficiorum, quod  
non legibus tantum proditum est; sed vulgari pro-  
verbio, *ἀντιπελαγεῖν*, adeò quidem ut laudetur  
Solon, quod qui id non facerent, eos notârit infâ-  
miâ. *L. 5. §. 16. D. de lib. agnosç. Parens ali à filio na-*  
*turali ratione debet. M. Seneca 1. Controv. 1. Lex est,*  
*liberi parentes alant, aut vinciantur, & Homerus atque*  
*Hesiodus brevis eos ævi esse, & crudeli fato occum-*

*Vicissim à li-  
beris Paren-  
tibus debentur alimenta  
& officia  
gratitudinis.*



bere autumant, qui negaverint *ἀποστρέψιν* claris Parentibus ; add. *Ælian. & Aristot. Histor. Anim. Sophocl. in Electrà v. 168.*

*Jura alia-  
rum societa-  
tum.*

Consociationes præter hanc maximè naturalem sunt & aliæ, tum privatae, tum publicæ. Talium consociationum hæc est lex, quòd in iis rebus, ob quas institutæ sunt, universitas & ejus pars major nomine universitatis obligant singulos, qui sunt in societate. Pars enim major jus habet integri, & æquum, ut pauciores plurium judicium sequantur, & nulla alia ratio esset expediendi negotia ; seclusis tamen pactis ac legibus, quæ formam tractandis negotiis imponunt.

— — — *Infirma minorâ*

*Vox cedat numeri, parvâque in parte quiescat.*

Ubi pares sunt sententiæ, tum inter dispares vincit sententia mitior, & si de reo sit judicium, is æquis sententiis absolvitur. Sic & possessor rem tenet.

Si sententiæ totis rebus differant, divisæ manent, & nihil agetur ; sin verò una alterius partem contineat, conjungendæ sunt in eo, in quo conveniunt : v.g. si tres Judices jubeant pendere viginti, tres decem, tres nihil, vicerit sententia in decem condemnantium, quia in viginti insunt decem. At qui morte reum puniunt, & qui relegant, non conjungentur, quia diversa hæc sunt, & in morte non est relegatio. Sed nec absolventes cum relegantibus conjungentur, quia, etsi non interficiendum reum consentiunt, id tamen non est illud ipsum, quod dicit sententia ; sed per consequentiam inde elicitur : at qui relegat, non absolvit.

Si

Si qui absentia, aut aliter impediti jure suo uti non possunt, eorum jus interim accrescit presentibus.

Qui prius in Societatem venerunt, ceteros precedunt, rejectis aliis omnibus qualitatibus, nisi pactum quoddam speciale intercesserit.

Et si res omnes aequaliter spectet, tum omnes aequaliter de illa, quod rectum videtur, ordine debito, decernere possunt. Quod si vero non aequaliter omnes participant, v. g. si aliquis in fundo dimidiam, alius tertiam, alius quartam habeat partem, tum non tantum ordo sumendus ex modo participationis, sed & sententiae ad eum modum, id est, mensuratae, ut loquuntur, proportione, sunt aestimandae. Quod sicut naturali aequitati convenit, ita Romanis quoque legibus probatum est. *L. Si plures D. Depositi. L. cum bona D. de Rebus auct. jud. possid. L. Majorem partem D. de pact.* Si scilicet possessionum causa inita est Societas & fundamentum habeat in re, aut si in Societate non possessionum causa inita, aestimatio tamen & dignitas Sociorum, ex modo possessionum, sive opibus ac potentia pendi consuevit.

§. XCIX.

Est etiam Consociatio ex Subjectione, quae fit consensu, privat aut publica. Subjectio privata ex consensu esse potest multiplex, sicut multiplicia sunt regiminum genera. Stupidis certe, robusti vero corporis, aut rebus suis commodè superesse & in sui tutelam ac regimen invalidis, subjici alteri expedit. Et hoc significavit *Aristoteles*, cum liberos & servos à naturâ procreari disputat, 1. *Polit.* 3. & 4.

*Species & iura Consociationum, quae sunt ex subjectione.*

L 3

Subje-

Subjectionis nobilissima species est arrogatio, quâ quis se ita dat in familiam alterius, ut ei sublit ad eum modum, quo filius, qui maturæ est ætatis, subest Patri: Pater autem filium suum eo modo dare alteri non potest, ut jus paternum plenè in eum transeat, & ipse paterno officio exsolvatur: id enim natura non finit; sed potest filium alteri commendare & alendum dare, quasi substituendo.

Ignobilissima verò species est, quâ quis se dat in Servitutem perfectam, quæ perpetuas operas, pro alimentis & aliis, quæ vitæ necessitas exigit, debet. Quæ res si ita accipiatur in terminis naturalibus, nihil habet in se nimie acerbitatis: nam perpetua ista obligatio compensatur perpetuâ illâ alimentorum certitudine, quam sæpe non habent, qui diurnas operas locant. Multum ergò distat id, quod impunè in servum fiebat apud quosdam populos, & id quod naturalis ratio fieri finit: *Seneca Epist. XLVII. Servi sunt, imò Homines: servi sunt, imò contubernales: Servi sunt, imò homines amici: servi sunt, imò conservi*, quæ plane collactea sunt *Pauli Apostoli dicto: Domini, jus è quod æquum est, servis præstate, gnari, vobis quoque Dominum esse in cælo: qui & alibi vult Dominos cum servis non minaciter agere*, eo, quod jam diximus, argumento, quod è *ipsi Dominum in cælo habeant, qui ad talia qualitatum discrimina non attendat. Coloss. IV. 1. Ephes. VI. 9. addatur Grotius III. 14.*

Jure Romano, ut in bestiis, ita in servilis conditionis hominibus partus matrem sequitur, quod tamen juri naturali non satis congruit, ubi pater aliquâ ratione sufficiente cognosci potest: Nam cum

cùm in mutis animantibus patres non minus, quàm matres foetuum curam gerant, hoc ipso ostenditur, foetum utriusque esse communem. Sic ergò, si lex civilis hâc de re tacuisset, partus non minus patrem sequeretur, quàm matrem.

Quòd si verò uterque parens servitutem serviat, certè si nulla alia fuerit ratio educandi partum, potuerunt parentes prolem sibi nascituram in servitutem secum addicere: adeoque jus Dominorum in prolem servilem hoc casu nascetur ex ipsâ alimentorum & eorum, quæ ad vitam necessariâ sunt, suppeditatione: ac proinde cum diu alendi fuerint è servis nati, antequam opera eorum Domino utilis esse possit, & sequentes operæ sui temporis alimentis respondeant; effugere ita natis servitutem non licebit, nisi pro alimentis, quantum factis est, reddant; extra hunc verò necessitatis casum non est jus Parentibus prolem suam cuiquam addicendi.

Si immanis sit Domini sævitia, servos illos, etiam qui ipsi se in servitutem dedêrunt, fugâ consulere sibi posse, probabilis sententia est. Sic & apud Græcos servis durius habitis licebat ad venditionem proclamare, & Romæ ad statuas confugere, aut Præsidum implorare opem contra sævitiam, vel famem, vel intolerabilem injuriam.

Sunt & quædam Servitutes minus perfectæ, ut quæ aut in diem sint, aut sub conditione, aut ad res certas. Talis est *libertorum*, *statu liberorum*, *noxorum*, *addictorum*, *adscriptorum glebæ*, septem annorum servitus apud Hebræos, & altera ad Jubilæum usque, eorum, quos *manus mortuas* vocant, ac postmodò

stremò mercenariorum, quæ discrimina aut à legibus, aut à pactionibus pendent. Imperfecta servitus naturaliter etiam esse videtur ejus, qui altero parente liberæ, altero servilis conditionis sit natus, ob eam, quam diximus, causam. Remanlit tamen hodieque duræ illius & iniquæ Romanorum servitutis non multum abludens imago *Hominum*, quos vocant *proprios*. Vid. pluribus de Servit. D. D.

§. C.

*Epilogus,*  
*quo rursus*  
*nostra Jcto-*  
*rum vera*  
*Philosophia*  
*commendat.*

Hæc est illa *Jctorum Philosophia*, hæc illa naturalis & perpetua Jurisprudencia, ruditer hætenus adumbrata & perfunctoriâ operâ: quæ enim amplitudo & varietas Thematis posceret, commemorare & deducere singula, converrere Leges, compilare *Doctorum* scrinia, cumulare Veterum dicta, fastidiosus fuisset & inutilis labor, & qui excrevisset in justî voluminis molem. Huic innituntur jam veluti basi, si quidem proba sint, constituta jura omnia; ad hanc veluti stateram veniunt expendenda; ad hunc veluti lydium lapidem examinandæ obvenientes controversiæ: Quæ autem huc revocari non possunt, sequitur, venire ex constituto, quæ cum & mutantur sæpe, & alibi alia sint, extra artem posita sunt, ut aliæ rerum singularium perceptiones. Hâc præfultâ, & præformato atque exculcto humanitate literarum & Philosophiæ severioribus studiis animo, excurrat sanè Noster *Jctus* per vastum illum Juris Romani Oceanum, emensurus illum brevi, nec difficulter, & quos nexuit nodos acumen Jurisperitorum, si non soluturus, certè disseccaturus; nec spernat tamen aliorum populorum scita: Sin absterretur immensis voluminibus, tot spinis horrentibus

tibus, & nodis impeditis, acquiescat sanè patrii juris cognitioni, & rideat Commentatorum ineptias, & Practicorum inutilem laborem congerendis tot casibus, & qui eorum impallescunt chartis otiosam diligentiam & eruditam incitiam: *Quid enim laboriosius illà arte, (lubet hæc literatissimi hominis verba mea facere) quam in compendium redigere putavit, qui ejus licentiam intra quadraginta libros coëgit; vel quid incertius, quàm illud, quod libido disposuit mortalium; quorum animos nec unum seculum, nec eadem conjunxit opinio: nam quid deinde ineptius, quàm tot Juris-Consultorum mentes unâ casse concludere velle, & mortuorum dissidia vanâ pace extinguere; quàm deinde, velut divinis oraculis, insistere illorum verbulis; percunctari, pugnare, tot voluminibus rem diffundere, ut nec maria prodigiosam seriem librorum, distinctis per ventum fluctibus, exequent. Omitto vanitatem questionum, quibus ipsi ingratis laboribus torquentur, sed illos audio jam in partes esse divisos, dum dubitant, an sedibus, an pedibus Ulpianus in possessionis notatione scripserit: cur idem latissimam jus dicentis potestatem, non vetero longissimam appellarit; num Spadones à spatâ dicti sint, & Aelius Sentius Rex Romanorum fuerit, qui legem Aeliam Sentiam promulgavit. Hactenus ille! Heic ista indignatio execretur noxissimam Reipublicæ & Clientum, suas exuvias ad certamen tradentium; pestem, Advocatorum venalem linguam, ibi fas, ubi plurima merces, ingeniosam & procacem nequitiam, & auri sacram famem: Stomachetur illos, qui vix leviter à limine salutatis Musis, & primoribus labris degustatis, ac fugitivâ memoriâ transmissis Institutionum Justinianearum libris, immatura studia pro-*

M

pellunt

Barclajus  
in suo Sa-  
tyrico.

Et simulans  
exploditur.

pellunt in forum, tanquam omnis impudentiæ ludum, emtâ etiam dignitatis Doctoralis fide, ibique improbi iras & verba locant, casum, qui obvenit, ægrè tandem ex vastis illis & prodigiosis voluminibus *Prædicatorum*, quos meritò *pontes asinorum* appellaveris, *in terminis terminantibus*, ut vocant, inventum decretoriâ sententiâ decidunt, & rudes licet omnium bonarum artium, & sacrilegi Divæ Themidos profanatores, plus quam *Papiniani* atque *Cujacii*, & intemeratæ justitiæ satellites *ἔυχοντα εἰναι*.

*Est aliqua prodire tenus, si non datur ultra.*  
Horat.



## Theses Philosophicæ Auctarii vicem.

L

**O** Mnem nostram cognitionem esse à posteriori, per sensus & inde resultantem rationem.

II. *Dari utique Attractionem, ceu speciem motus, contra Cartesianos.*

III. *Materia cum sit Ens merè patiens, ineptum ad illum per se & ex se motum: Vim quandam omninò esse, quæ illam moveat, seu Ens nobilius, activum, verbo Spiritum. Quem qui tollunt è Naturâ, & Deum motum impressisse materiæ asserunt, ipsimet, quid dicant, nesciunt.*

IV. *Immortalitatem Animæ probabilibus saltem Argumentis è penu solius Rationis depromptis evinci, & militare item in contrarium haud levia.*

V. *Conceptum communem & definitionem spiritus esse erronea.*

VI. *Si spiritus, secundum Cartesium, nihil aliud est, quam Ens cogitans. Tum rectè Beckkerum negasse Operationes Spirituum in corpora extra se.*

F I - N I S.





